…IOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XLII
C
71
NAPOLI

SIMONIS

OGERII AV-
DOMAROPOLITÆ
I. V. DOCTORIS

Symbola:

Ad ampliſsimum & ornatiſsimum ciuitatis Neruiæ (quæ nunc Tornacum dicitur) Senatum.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III
NAPOLI

uiſto

ANTVERPIÆ,
Apud Martinum Nutium.

ANNO M. DCIII.

IN his opuſculis **M. Simonis Ogerii** nihil continetur quod vel religioni vel bonis moribus aduerſetur, quinimo plura quæ ad animi relaxationem & doctrinam plurimum faciunt.

Ita cenſeo M. Adrianus Faber Sacræ Theologiæ Licentiatus, necnon Lector Theologus & Canonicus Audomarenſis, Librorũ Cenſor. Actum 25. Iunij. 1602.

AMPLISSIMO ATQVE ORNATISSIMO CIVITATIS NERVIÆ SENATVI S. P. D.

SEMPER admiratus ſum homines excellenti virtute, vt ij admiratione & veneratione omniũ ſunt digniſsimi. Ideò non poſſum non admirari veſtram ciuitatem, viri ornatiſsimi, quòd ea fortitudinis laude & gloria præ ceteris omni tẽpore floruerit. Quis huius rei teſtis, dicet Inuidia? (nam mihi hãc audire videor.) Hoſtis omnium acerbiſsimus Iulius Cæſar. Is enim in illis ſuis venuſtiſsimis de bello Gallico Commentarijs Neruios Belgarum ac proinde Gallorum omnium fortiſsimos aſſerit, cum quibus prælio cõgreſſus, & gloriam belli antè partam fere cum vita amiſit, & ingenuè faſſus eſt, & ſcripto teſtatum reliquit, nulla ſe cum gente acriore & alacriore manus vnquam conſe-

 ruiſſe.

ruiſſe. Cuius teſtimonio ſubſcribunt etiam illuſtriſſimi ſcriptores Plutarchus & Suetonius, & complures alij. Omnes enim, qui res Cæſaris attingunt, & facta illius præclara literis mandant, & poſteritati produnt, vno ore conſentiunt maximum Cæſaris in Neruijs fuiſſe periculum, ac ibi inter magnanimam gentem magnanimum imperatorem Romanorum ad extremum diſcrimen redactum magnam partem exercitus, & Centuriones fermè omnes ſuos, & fortiſſimum quemque & robuſtiſſimum militem amiſiſſe: Generum Pompeium in Aſia in fœminas incidiſſe, Cæſarem in viros, & eos viros, qui mortem negligerent, nec funera, vt etiam teſtatur Horatius, pauerent, & vincere, aut mori vellent, ſemper pectora, nunquàm terga hoſti oſtenderent, & præ libertate, & gloria omnia ſpernerent; arma tractare, in ferrum ruere, ſanguinem haurire pro delectamento haberent, ita, vt eos veros Mauortis alumnos quis iure vocare poſſit. Nec præſens ætas à maioribus ſuis degenerat, & in Neruijs priſtina adhuc virtus conſpicitur, & Tornacenſis miles bellicoſiſſimus & fortiſſimus hodie habetur, & Turni martiales in prælio animos retinet, nec

cuiquam vult in martio certamine audacia, & fortitudine, & mortis contemptione (vera loquor) eſſe ſecundus. Quod autem Turnum modò nominaui, id nõ ſine cauſa feci: Neruius enim (quod alio loco ſcripſi) filius Turni Rutulorum regis fortiſsimi, & Italiæ contra barbaros defenſoris acerrimi, quem ex Scalde Auſonidum Nympharum pulcerrima ante aduentum AEneæ, & inuaſionem Italiæ ſuſceperat, Turniacum (quod poſtea Tornacum eſt vocitatum) de nomine patris ſui conditum à ſe appellauit, & nomen matris fluuio prælabenti dedit. Non mirum igitur Tornacenſes Turni poſteros eſſe animoſos, nec homines generoſos à Daunia virtute, quam miris extollit laudibus verus poëta Virgilius, degenerare.

Fortes creantur fortibus, & bonis
Eſt in iuuencis, eſt in equis patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

Hæc eſt cauſſa, viri ornatiſsimi, cur vos & ſtirpem veſtram admirer & ſuſpiciam: nec deeſt cauſa, cur vos amem, & diligam, ac imo corde recondam. Nam non ſolùm bello; & bellicis artibus, ſed ſtudio literarum clari & celebres eſtis. Quis enim neſcit Maſurios ciues veſtros poëtas præſtãtiſsimos (vt alios omittã, nã

longum eſſet omnes recenſere) vel cum Ronſardis de poëtica laude, & gloria canendi contendere, & palmam in dubio eſſe, vtrum his an his palmas ſit oneratura, & ornatura? Et quotidie ex gymnaſio illo pulcerrimo & præclariſsimo, cuius patrocinium D. Paulo Apoſtolorum doctiſsimo & diſertiſsimo detuliſtis, tanquam ex equo Troiano, præſtantiſsima egrediuntur ingenia, quibus ciuitas veſtra longè nobiliſsima & illuſtriſsima; cùm tempus exigit, in adminiſtratione Reipub. vtitur, maximos & vberrimos, ex eorum eruditione & doctrina fructus decerpens. Quapropter non ſine cauſa vos amo & ſuſpicio, viri ampliſsimi, & ſenatores nobiliſsimi. Suſpicio vos ob ardorem bellicum, & virtutem Mauortiam. Quod vt faciam me impellit potiſsimùm Ogerius Danorum rex fortiſsimus, generis noſtri autor & princeps, ipſe quoque virtutis alienæ mirator maximus. neque enim (vt ſcribit Turpinus certiſsimus autor, & à mendacio alieniſsimus) Cimbrorum princeps Rolando, aut Oliuerio, aut Reginaldo Amonis filio præſtantiſsimis heroïbus Ganelonio more vnquàm inuidit, ſed eorum virtutem ſua ſemper æmulari & ſuperare bonorum ritu contendit; fortiſsimorum virorum laudes, & præconia ſemper in ore candido, & inuidiæ neſcio habens.

Vos

Vos amo, & complector, vt Muſarũ alumnus, & cultor, quòd videam Helicona à vobis amari, & ornari, & quotieſcunque opus eſt adiuuari, & ſubleuari, Aoniamq; apud vos in maximo honore eſſe; Agnoeamq; eo loco, quo Tricæ & Apinæ, & ſi quid vilius iſtis. Vt autem oſtendam re ipſa vos à me & ſuſpici & diligi, alterum hunc Symbolorum librum vobis dicatum volui, obſeruantiæ & amoris erga vos, & Rempublicam veſtram mei æternũ (ſi me modò vocatus audiuit Apollo) pignus & monumentum. Prima ſymbola ſibi dicata placido vultu, & hilari corde excepit vir clariſsimus Ioannes Richardotus, Belgij præſes humaniſsimus omnibus virtutibus ornatiſsimus. Vos etiam ſpero, viri ampliſsimi, hæc ſecunda pro veſtra humanitate, & ingenito candore vobis conſecrata haud illæto vultu, nec tetrica fronte excepturos Symbola. Quam opinionem & coniecturam meam non me fallere, in manu veſtra eſt viri ornatiſsimi quamprimùm oſtēdere. Valete, & omnia optata à Superis nunquàm non referte. Audomaropoli 12. Iunij anno 1602.

Veſtræ amplitudinis

Amantiſsimus & obſeruantiſsimus
SIMON OGERIVS.

SIMONIS OGERII AVDOMAROPOLITÆ Symbola,

Ad ampliſsimum & ornatiſsimum ciuitatis Neruiæ Senatum.

SYMBOLVM I.

Diuûm voluptas.

MVSÆ apud Homerũ ſuauiſono cantu oblectant Iouis cõuiuium. Per Muſas autem intelligunt Sapientiam. Vndè à venuſtiſſimo poëta dicitur Muſarum princeps

Calliope requies hominum, Diuûmq; voluptas.

Et ante mundi conſtitutionem Sapientia coram Deo omni tempore ludebat, vt eſt in prouerbijs Solomonis, æterniq́ue patris æternam mentém deliniebat. Nec eſt

aliud

aliud in cœlo quod nos oblectet, ac demulceat præter Dei Sapientiam; Dei autem ſapientia eſt Christus Dominus noſter, nectare & ambroſia multò dulcior & ſuauior.

2. REQVIES HOMINVM.

HOratius Muſis amicus triſtitiam & metus tradit proteruis in mare Creticum portare ventis. Idem facit Ouidius, & ceteri poëtæ, qui nullum aliud calamitatis & miſeriæ ſolatium inueniunt pręter Heliconem. Et Cicero, & multi cum Cicerone proceres Romani oppreſſa à Cæſare Republica in ſtudio ſapientiæ acquieſcunt.

3. διπλοῦν βλέπω.

HOc eſt doctrinæ elogium. nam homines docti duplò acutius ceteris cernunt.

διπλοῦν βλέπουσιν οἱ μαθόντες γράμματα.

Tireſias doctiſsimus vates in Erebo ſolus ſapit, ceteri vmbrarum modo volitant. Et Epaminondas, Alcibiades, Xenophon, Alexander, Scipio, Sylla, Lucullus, Cæſar, & multi alij duces & imperatores doctrina clari, & literis exculti ſemper in

bello felices fuerunt. Et verò doctrina ſi nihil aliud præſtet mortalibus, hoc certè præſtat, vt in theatro ſedentes non ſedeãt lapides ſuper lapides.

4. PARTA LABORE.

NOn iacet in molli veneranda Scientia lecto:
Ipſa ſed aſsiduo parta labore venit.

5. ESCA MALORVM.

PLus aloës quàm mellis habet væſana libido.

Nec ſine cauſa voluptatem diuinus Plato vocauit eſcam malorum, quòd ea homines, vt hamo piſces, capiantur. Quapropter *Sperne voluptates, nocet empta dolore voluptas.*

Extrema gaudij ſemper luctus occupat. Diuenſi euãgelico epuloni poſt mortem ſepultura eſt Tartareus Phlegethon.

6. πάντα δύναμαι.

NIl mortalibus arduum. Et labor omnia vincit improbus.

μελέτη πάντα δύναται.

Exercitatio poteſt omnia. Teſtis erit vnus pro omnibus Demoſthenes.

7. MAGNVM VECTIGAL.

O Dij immortales! non intelligunt homines, quàm magnum vectigal ſit Parſimonia! Cicero vltimo paradoxo, cui ſuccinit Lucretius lib. 5. rerum naturalium.

Diuitiæ grandes homini ſunt viuere parcè
Æquo animo, neq; enim eſt vnquàm penuria parui.

8. SERVARE VOLVPTAS.

Conueniens homini eſt hominem ſeruare voluptas,
Et melius nulla quæritur arte fauor.
Quis non Antiphaten Læſtrigona deuouet? aut quis
Munifici mores improbat Alcinoi?

Hoc eſt philanthropiæ elogium.

9. IMPATIENS CONSORTIS.

Romulus & Remus, Cæſar & Pompeius, Alexander & Darius ſatis oſtendunt poteſtatem eſſe conſortis impatientem. Et Deus Luciferum illum Cacodæmonon principem regnum cœleſte affectantem in ima barathri detruſit. Eſt enim zelotes, & nemini vnquàm ſuam

elargietur gloriam.

10. FILIA TEMPORIS.

NIhil eſt occultum, quod non reuelebitur. Et licet potens ſit pecunia, potẽs vinum, potens amor, potens tyrannus, veritas tamen longè eſt potentior.

11. NERVVS RERVM.

PEcunia non ſolùm neruus belli, ſed omnium rerũ neruus dicitur à Plutarcho, & antiquis ſcriptoribus. Quapropter ea non inſcitè ab Horatio regina appellatur, vt cui omnia obediant. Philippus rex Macedoniæ argẽteis pugnãs haſtis, omnia vicit, & eſt rerum potitus. Ode 16. lib. 3. Venuſinus poëta potiſſimùm oſtẽdit potentiã pecuniæ, & Ariſtophanes in Pluto.

12. MVNVS HAVD INTELLECTVM.

LVcanus lib 5. Pharſaliȩ vocat paupertatem munus Dei nondum intellectum. Pauper nõ eſt obnoxius latrocinio, nil timet, nil pauet, nil reformidat, tutus eſt, & ſecuros carpit ſomnos: & cùm Cæſar armis ſuis terreat Pompeium, & totũ terrarum orbem, non terret Amyclam. O beatos pauperes.

13. Ri-

13. RIDEO MENDACIA.

CONSCIA *mens recti famæ mendacia ridet.*

14. FRONTE CAPILLATA.

CVpidè eſt arripienda occaſio cùm ſe nobis offert, ne ſe illa illicò auertat, & elabatur è manibus: nam *Fronte capillata, poſt eſt occaſio calua.* Et *Accidit in puncto, quod non contingit in anno.*

Quem verſum ita interpretatur Areoſtus cantico primo, ogdoade 48.

E coſi quel ne vienne à vn' hora, à vn punto,
Che in mille anni, ô mai più non è raggiunto.

15. ὐδὲν ὀϊζυρώτερον.

NIl eſt ærũnoſius homine inter omnia animalia inquit Homericus Iupiter. Cui ſententiæ ſubſcribit Iöbus, Axiochus, Virgilius, & multi alij ſcriptores, à quibus paſſim mortales vocantur ægri, & miſeri, & multis calamitatibus obnoxij. Homo tamẽ pius, cui regnũ cęleſte à Deo promittitur, eſt omnium animalium feliciſſimus.

16. ὐδὲν ἀχιδνότερον.

NE inſoleſcamus rebus ſecundis inquit

quit Vlyſſes Homericus. Nihil eſt natura humana fragilius, nihil debilius, nihil infirmius, nihil imbecillius. Homo bulla. Et Dii nos tanquam pilas homines habẽt. Pila citò tollitur, & citò demittitur. Et

Omnia ſunt hominum tenui pendentia filo,
Et ſubito caſu quæ valuere ruunt.

Teſtes Crœſus, Dionyſius, Marius, Pompeius.

---

17. MALVM NECESSARIVM.

IVpiter nihil eſſe ait impudentius Iunone, Amphiaraus nihil perfidius Eriphyle, Agamemnon nihil peſtilentius Clytemneſtra. Xantippe vexat Socratẽ, Meſſalina imperat Claudio, Eua fallit Adamum. Et tamen hoc malum, quod vocatur fœmina, eſt omnino neceſſarium viro. Sine mulieribus enim non poteſt eſſe generatio, neque procreatio liberûm. Mulier tamen Ioanni, & ceteris cœlibatum amantibus non eſt malum neceſſarium.

---

18. φρένες ἠερέθονται.

ADoleſcentes (inquit Menelaus) ſunt leui & inconſtanti ſententia, & ingenio, & eorum mentes non ſunt rectæ,

neque

neque ſtabiles, ſed in aëre ſemper vagantur. Qui talis eſt Gallicè vocatur Teſtelyuole.

19. Delirant reges.

HOc vulgus dicterium iacit in reges, & aiunt ob peccatum Agamemnonis plecti Achiuos. Rex indoctus nil differt ab aſino coronato, teſte Alphonſo rege ſapientiſſimo. Et regem aut fatuum naſci oportet. Fatuus, cùm ſceptrum gerit, omnia peſſundat. Quapropter magni faciendi ſunt Dauides, Ezechiæ, & Ioſię, & ſi qui fuerint reges boni, quia ſub Numis & Auguſtis aurea fuerunt ſecula.

20. Belva multorum capitum.

HOc viciſſim reges dicto vulgum notant. Et certè difficile eſt regere populũ natura ſeditioſum, & diſcordioſum, & cuius tot ſunt ſententiæ, quot capita. Et inferiores ſemper aduerſantur ſuperioribus, & vulgus eſt profanum ac prorſus intractabile. Quapropter, qui bene coniecerit, hunc vatem, &, qui bene rexerit populum, hunc regem. Talis fuit Cyrus excellenti ingenio præditus, qui, vt ſcribit Xenophon, tot regna ſumma æquitate &

te & iuſtitia gubernauit, vt ab omnibus populis, quibus imperabat, amaretur, & pater appellaretur. Aræoſtus cantico 16. ogdoade 23. ait vulgum indignum vita. *Il vulgo, è popolazzo voglio dire Degno, prima chenaſca, di morire.* Poëtæ non amant veſaniam vulgi.

---

21. CVRIOS SIMVLANT.

NVlla capitalior eſt peſtis, quàm eorũ, qui cùm luxurioſè ac inhoneſtè viuunt, hoc tamen agũt, vt boni viri & frugi eſſe videantur. Sed nunquàm te fallãt animi ſub vulpe latentes. Fucus tandem patebit, & magnas luent pœnas, qui Curios ſimulant, & Bacchanalia viuunt. Execratur enim Chriſtus has laruas, & iratus hæc verba pronuntiat, Væ vobis Hypocritæ.

---

22. FALLERE NESCII.

RVſtici olim erant ſimplices, pij, probi, candidi, ſynceri, iuſti, & ignorabant fraudem: hodie, Virgili, ſunt fallaciſſimi, & carent fide.

---

23. EXEAT AVLA.

APud Perſas pueri olim in aula apud

regem diſcebant iuſtitiam & pietatem. Et rex erat populo virtutis veræ exemplar, teſtis Xenophon in Cyripędia. Hodie exeat aula, qui volet eſſe pius. Exulat iuſtitia non tantùm Perſide, ſed & multis alijs regionibus: & miramur non redire ſeculum aureum?

---

24. NVLLA FIDES, NVLLA PIETAS.

HOc eſt ſceleratiſsimorum militum elogium, quorum animæ trinummo vęnales ſunt, & qui ibi fas eſſe dicunt, vbi eſt plurima merces.

---

25. MVSARVM AVES.

POëtæ ſunt Muſarum ſacerdotes, ſunt Muſarum aues, & cycni canori, ſunt diuini, imò Dij.

Eſt Deus in nobis, agitante caleſcimus illo,
Impetus hic ſacræ ſemina mentis habet.

Quapropter, qui poëtas olim læſerunt, & ſacroſanctos homines violauerunt, grauiſſimas dederunt impietatis & iniuſtitiæ pœnas. Quo in numero fuit Agamemnon, qui Chryſen contempſit, Ægiſthus, qui poëtam optimum in inſula deſerta lupis & feris deuorandum reliquit, & qui Heſiodum & Ibycũ interfe-

cerunt mortales peſſimi. Præteribo ceteros, ſi Säulem nominauero, qui Dauidem regium vatem mirificè vexauit.

26. δῖος ὀαρισ͂ής.

MInos rex Cretæ iuſtiſſimus familiariter agebat cum Ioue, &, vt amicus, colloquebatur. Porrò rectè reprehendit Plutarchus reges, qui ſe volunt dici Aquilas, Accipitres, Fulmina, vrbiū expugnatores (quæ nomina cum ſummo damno & pernicie generis humani coniuncta ſunt) iuſtos ſe dici negligunt, cùm ad diuinam naturam nulla alia re magis accedamus, quàm iuſtitia. Miſericordiā tamen nonnulli anteponūt: & rectè, cùm miſericordia ſit ſuper omnia opera Dei.

27. VEXO COLVMBAS.

ANacharſis non inſcitè aiebat leges eſſe ſimiles telis aranearum, quæ muſcas & parua animalcula retinent, maiora emittunt. Nam & hodie, vt & olim, *Dat veniam coruis, vexat cenſura columbas.* Iudex iniquus bonos exagitat, malis ignoſcit.

28. πολλῶν ἀντάξιος.

Medi-

MEdicus ob ſalutarem & neceſſariam artem multis hominibus præſtat,& ſummo eſt honore venerandus.

29. καὶ λόγῳ, καὶ ἔργῳ.

HOc eſt Epiſcopi excellentis & perfecti elogium; nam verus Epiſcopus eloquentia & beneficentia ſimul præſtare debet. Tales fuerunt olim Ambroſius, Auguſtinus, Paulinus, Baſilius, Gregorius, Chryſoſtomus,& alij multi, ob aureũ eloquentiæ flumen, & vitæ eximiam ſanctitatem nectar & ambroſiam promeriti. neminem hodie nomino, ne, ſi aliquem prætercam. ille mihi ſuccenſeat. Tamen hac tempeſtate complures inueniuntur, quibus neque facundia, neque ſanctimonia cum liberalitate deſunt.

30. ALIT REX.

AVlicus (ô vitam beatam) regio ſumptu alitur, & ſine cura & ſollicitudine dubiam ſumit cœnam.

31. PORTAT EQVVS.

GRex aulicus, cùm ſatur eſt, gaudet per vrbem & oculos ciuium equo è ſtabulo regio circunuectari.

Cura ducum fuerant olim, regumq́; poëtæ,
Præmiáque antiquì multa tulere chori.
Nunc ederæ ſine honore iacent, operatáque doctis
Cura vigil Muſis nomen inertis habet.

Hodie fatui, ſcurræ, & meretrices omnibus perfunduntur voluptatibus. I matti, i buffoni, le puttane goddono queſto mondo. Vbi nunc ſunt Alexandri, vbi Scipiones, vbi Auguſti, & ceteri nominis Heliconij tutores & fautores?

32. ἄνθος ἀοιδῶν.

SOphocles verborum ſplendore, & ſententiarum pondere inſignis, olim dictus eſt flos poëtarum, gemmis prælatus & auro. At hodie (vt & ceteros poëtas hominum flores) Martagoniſtæ, & filij Floræ hunc vel aconitis poſtponunt. O Cyprios boues, ô Antronias pecudes, ô ſeculum inſipiens & infacetum, & prorſus illepidum, & Anceæ non Aoniæ alumnum.

33. ἥδιστα καὶ τάχιστα.

FRugi famulus ſumma alacritate & celeritate iuſſa domini exequitur.

34. FIDE

34. FIDE ET TACI TVRNITATE.

HIs virtutibus commendatur Soſia Terentianus ab hero Simone.

35. VARIVM ET MVTABILE.

O Miſeram ſponte, quia veneror hunc ſexum, ſed iubet addere Mercurius, à quo Elyſa, & omnis fœmina ita lib. 4. vocatur.

36. ODERINT DVM METVANT.

HOc eſt Phalaridis dictum, imò & tyrannorum omnium, qui odium beneuolentiæ ciuium præferunt, & malunt timeri, quàm diligi. Neceſſe eſt autem multos timeat, qui à multis timetur, & malus eſt cuſtos diuturnitatis metus. Quarè peſſimè ſibi conſulunt tyranni, dũ hac ratione vitam inſtituunt, & verè à Satyrico poëta canitur,

Ad generum Cereris ſine cæde & ſanguine pauci
Deſcendunt reges, & ſicca morte tyranni.

37. ALTER EGO.

HOc elogiũ tribuit Lęli' apud Ciceronẽ verò amico. Nã amici (quales erãt

Pylades & Oreſtes) duo corporibus,mētibus vnus,nunquàm inter ſe diſcordant, & alter pro altero vitam profundere paratus eſt. Et Philippi filius Hephæſtionē alterum vocabat Alexandrum.

38. καλαὶ καὶ μεγάλαι.

PErſicæ puellę, dolores oculorum, vt eas vocat magnus Alexander, laudantur lib. 3. Anabaſeos à pulchritudine & magnitudine. Quæ laus debetur verè Belgicis mulieribus. ſplendidè mentitus ſum, hinc faceſſe Mauors, ſunt turpes.

39. DETERIORA SEQVOR.

MEdea animo ægro, amore ſæuo ſaucia patriam prodidit, parentes reliquit, fratrem in fruſta diſſecuit, & plurima alia nefanda in gratiam Iäſonis fecit. Sic igitur ipſa ſecum deliberabunda ante facinus diſputat lib. 7. Metamorphoſeos.

Excute virgineo conceptas pectore flammas,
Si potes infelix: ſi poſſem, ſanior eſſem.
Sed trahit inuitam noua vis, aliudq́; Cupido,
Mens aliud ſuadet: video meliora, probóque:
Deteriora ſequor. Idem queritur de ſe Areoſtus Cantico 9. Ogdoade 2.

40. NVBE PARI.

EST Pittaci Hemyſtichium, τὴν κατὰ σαυτὸν ἕλα. Cui ſuccinit Deianira vxor Herculis apud Ouidium in Epiſtol. Heroid.

Quàm malè inæquales veniũt ad aratra iuuēci,
Tam premitur magno cõiuge nupta minor.
Nõ honor eſt, ſed onus, ſpecies læſura ferentes.
Si qua voles aptè nubere, nube pari.

In eadem eſt ſententia Euclio apud Plautum in Aulularia, qui affinitatem ſe opulentioris reformidat, & Megadorum generum recuſat. Eſt & Gallicum puerorũ prouerbium. Ioués vous à voſtre pareil.

41. βȣλὴ καὶ μῦθοις.

VLyſſes conſilio & eloquentia hominibus ſui ſeculi præſtitit, & ita his virtutibus excelluit inter mortales, vt Pallas inter Deos, quemadmodum aſſerit ipſa Iouis filia Odyſſ. ν.

42. σύντε δύ' ἐρχομένω.

VNus vir, nullus vir. Et vnus vir non poteſt omnia videre. Et plus vident oculi, quàm oculus. Et qui ſolus eſt, etiamſi valeat conſilio, nec à prudentia

deſtituatur, tamen neſcio quo pacto timidior eſt, nec rationem mentis ſuæ, prout tempus & locus poſtulant, explicare poteſt. Quapropter valentiſſimus ille heros filius Tydei Diomedes miſſus ſpeculatum caſtra Troianorum, accipit quidem conditionem, imò vltò ſe offert, ſed petit ſocium & comitem prudẽtiſſimum Laërtæ filium Vlyſſem, iunior ſeniorem. Vide Iliad κ.

---

43. χρὴ σπεύδειν.

IDomeneus rex Cretæ, filius Deucalionis, nepos Minois cenſet in bello feſtinandum, nunquàm ceſſandum. Ceſſatio Niciæ apud Syracuſas Athenienſium res peſſundedit. Et ceſſatio aliquando Pompeio nocuit, & victoriam interpellauit, & cauſa fuit, ne totus Cæſaris exercitus deleretur.

---

44. πρόσσω, καὶ ὀπίσσω.

CAlchas Theſtoris filius inſignis augur, vt Ianus, videbat & quæ à tergo, & quæ antè erant. Et Proteus nouit Quę ſint, quę fuerint, quæ mox ventura trahantur.

45. προνοία καὶ τόλμη.

LAudatur à Xenophonte lib. 7. Graiæ Hiſtoriæ prouidentia & audacia Epaminondæ ducis Thebanorum, omnium, qui in Bœotia nati ſunt, præſtantiſſimi. Hic Lacedæmonios vicit ad Leuctra, & Mantineã, vbi victor occubuit interfectus à Gryllo Xenophontis filio.

46. καλὸς κἀγαθὸς.

ITa vocatur à Socrate Iſchomachus. Et hoc nomen meretur apud Græcos vir probus & honeſtus, ac omni elegantia & humanitate perpolitus.

47. καλὸς κάμμορος.

DEmocles adoleſcens Athenieſis formoſiſsimus & pudiciſſimus, cùm à Demetrio Poliorcete rege, imò hirco, omnium ſalaciſsimo ac libidinoſiſſimo depræhenſus eſſet in balneo, coniecit ſe in aquam feruentem, & ita, quando aliter non potuit, tutatus eſt pudicitiam. adoleſcens infelix, imò felix: nam beati mundo corde.

48. καλῶς ἀποθνήσκωμεν.

CHiriſophus dux Lacedæmonius, Xenophonti ſumma amicitia & vnanimitate coniunctus, hortatur ſe & exercitum Græcorum fraude & inſidijs circunuentum ad pulchram & honeſtam mortẽ, & deteſtatur fugam & ignauiam, quæ homine militari indigna eſt.

49. μὴ πιςεύειν τισσαφέρνει.

CLeanor Orchomenius vnus ex ducibus, qui Cyro aduerſus Artaxerxem auxilio fuerunt, Clearcho cum alijs multis à Thiſſapherne cõtra fœdus & iuſiurandum interfecto, monet & ſe, & vnumquemque noſtrûm, ne proditoribus ac periuris hominibus, quorum caput erat Tiſſaphernes, fidem habeamus. Proximũ huic Gallicum prouerbium, C'eſt vng Iudas, il ne le faut pas croire.

50. γνῶθι σεαυτόν.

HOc quidem ad Apollinem referendum, ſed vſurpauit Crœſus, qui ſi ſe bene nouiſſet, vt ipſe teſtatur lib. 7. Cyripæd. nunquàm bellum mouiſſet Cyro Perſarum regi nobiliſſimo, fortiſſimo, ac poten-

potentiſſimo. Et homo, ſi pulcrè noſſet ſeipſum, & quanta ſit ipſius animę dignitas, nunquàm profectò ſe vitijs daret, neq; cum virtutibus, imò cum Deo virtutum omnium principe & autore, bellum gereret. Eſt enim homo θεοείκελος, & θεοειδὴς, vt ipſum Homerus appellat, & creatus ad imaginem & ſimilitudinem Dei. Memoria refert Patrē, intellectu Filium, voluntate Spiritum ſanctum. Quapropter hoc ſymbolum diligenter eſt conſiderandum. Nam, vt ait poëta, E cœlo deſcendit γνῶθι σεαυτὸν. verſus eſt apud Xenophontem,

σαυτὸν γινώσκων, εὐδαίμων χροῖσε πεϱάσεις.

---

51. γηράσκω διδασκόμενος.

Solon Atheniēſium legiſlator, & vnus ex ſeptem Græciæ ſapientibus verſiculo quodam ait ſeneſcere ſe multa indies addiſcentem. Hic eſt autem verſiculus,

γηράσκω δ' αἰεὶ πολλὰ διδασκόμενος.

---

52. ἐκ πόνων μαλακά.

IAſon Tagus Theſſaliæ aiebat ex labore militari enaſci molliſſima quæque, & cariſſima humano cordi, qualia ſunt opes, diuitię, cenſus, honores, magiſtratus, ſceptra,

ſceptra, imperia.

---

53. μὴ πανοῦργος ἀπαίδευτος.

MEnon Theſſalus homo impius ac nefarius (pace Platonis dixerim) exiſtimabat eum indoctum & rudem, qui non eſſet facinoroſus ac malitioſus, & ingenio verſipelli ac vulpino. Teſtis Xenophon lib. 2. Anabaſ. circa finem.

---

54. ὀργὴ ἀπρονόητον.

TEleutias frater Ageſilai immemor ſui ſymboli ira ſtimulante in Olynthios mouit, à quibus interfectus oſtendit iram cęcam & improuidam multorũ damnorum cauſam mortalibus eſſe : quod confirmat etiam Horatius lib. 1. ode 16.

---

55. μήτ' ἀδικεῖν, μήτ' ἀδικεῖσθαι.

COrylas princeps Paphlagoniæ, neq; vult ipſe iniuria affici, neque iniuria quemquam afficere. Exiſtimat eum, qui iniuriam facit iniquum, qui patitur ignauum. Secus Chriſtiana philoſophia, qua docemur, eum, qui patienter iniuriam ferat, eſſe laudabilem : ſed homo militaris aliter ſentit.

56. ἄμεινον

56. ἄμεινον ἀδικεῖσθαι.

PLato cenſet melius eſſe iniuriam pati, quàm facere. Qui facit iniuriam ſemper eſt vir malus: qui patitur, poteſt vir bonus eſſe. Cœleſtis ſapientia iubet, cùm in maxilla dextra percutimur, obuertere alteram: cùm pallio ſpoliamur, & tunicã largiri: cùm ad mille paſſus trahimur, & duo millia procedere. In ſumma vetat malo, & iniurioſis hominibus reſiſtere, & beatos vocat eos qui vexantur & agitantur propter iuſtitiam. Ipſe Chriſtus tanquam ouis ad occiſionem ductus eſt, & pro peccatorib. Sponte ſua leto caput obuius obtulit ipſe.

57. ἀγαθῇ τύχῃ.

DEmoſthenes in clypeo ſuo literis aureis hoc ſymbolum inſculpſerat. At commiſſo prælio fugit, & clypeum abiecit: vnde Ripſaſpis appellatus eſt. Et cùm rideretur, & fuga ei exprobraretur reſpõdit: Et homo fugiens denuò pugnabit. Verùm (vt inquit D. Hieronymus) denuò pugnabit, vt denuò fugiat. Hoc ſymbolum ita effertur Latinè, Felici auſpicio. Italicè, In buon' hora. Gallicè,

Dieu me donne bonne aduenture. ou, à la bonne heure.

58. μάλα ὀξέως.

LAudatur Iphicrates dux Athenienſiũ à Xenophonte in Hiſtoria Hellenica, quòd auxilium laturus Corcyræis à Mnaſippo & Lacedæmonijs ſumma vi, & maximo cum periculo obſeſſis, omnia egregiè adminiſtrauerit: & celeriter eò nauigauerit: & milites in itinere ad laborem & prælium exercuerit.

59. Nihil scio.

SOcrates oraculo Apollinis ſapientiſſimus eſt iudicatus, & , vt ſcribit Xenophon, nullius doctrinæ fuit expers. Et tamen cùm Hippias diceret ſe omni ſcium, facerent idem multi Sophiſtæ, pater philoſophorum dixit ſe hoc vnũ ſcire, quòd nihil ſciat. Vel hoc per modeſtiam dixit, vel reuera, cùm illa, quæ ad Deum pertinent, non poſſet humano ingenio percipere (habitat enim Deus lucem inacceſſibilem) & illa ſit vera ſcientia, & ſapientia, cognoſcere Deum, dixit filius Sophroniſci ſe nihil ſcire, humana enim paruipendebat, diuina admirabatur. Et

Paulus

Paulus Apoſtolorum doctiſſimus, & vſq; ad tertium cælum raptus, ſe vnum ſcire ait, Iēſum Chriſtum, & eum quidem crucifixum. At in Iēſu Chriſto crucifixo Paule, ſunt omnes theſauri ſapientiæ, ergò ſapientiſſimus fuiſti, nec ſine cauſa doctor Gentium.

---

60. μηδὲν λέγει.

ARiſtoteles doctiſſimus philoſophorum, cùm videret quempiã ſcriptorem nil adferre firmum ac validũ ad probationem dicti ſui, aiebat illũ multa quidem dicere, ſed tamen nihil dicere. Si autẽ hoc dixerit Philoſophus de Moyſe, tota errat via, καὶ μηδὲν λέγει, hoc eſt, hac in parte futilis eſt, & inſipiens. Diuina enim ſcriptura exigit à nobis fidem, non nititur argumentis. Et Deus vult ſibi credi, nam vero veriora ſunt quæ dicit, etiãſi nil probet.

---

61. αὐτὸς ἔφα.

TAntum tribuebant Pythagorei magiſtro ſuo, vt cùm aliquis repoſceret rationem dictorum Pythagorę, reſponderent: Ipſe dixit. Tanquam nefas eſſet dubitare de his, quæ dixiſſet Pythagoras. Et

nos

nos de dictis diuinis dubitabimus? Hoc eſt corpus meum, credendum,quia Chriſtus dixit.

62. τὰ τῶν φίλων κοινά.

PYthagoras volebat omnia inter amicos eſſe communia. nec diſcrepabant ab hac ſententia primi Chriſtiani. Et hodie ſanctiſsima Monachorum domicilia vocantur cœnobia, à vitæ, fortunarumq; omnium communitate.

63. ἀνέχου καὶ ἀπέχου.

EPictetus commendat nobis patientiā malorum, & ablegationē voluptatū.

64. αἰσχρὸν φεύγειν.

CAllicratidas dux Lacedæmoniorum ad Arginuſas, cùm Hermon gubernator claſſis moneret eum, retrocederet, nec cum Athenienſibus, qui numero nauium ſuperiores erant, confligeret: reſpōdit, Spartam ſe cadente non minus habitatum iri; ſe fugere ſine ſummo dedecore non poſſe. Eſt turpe Callicratida commiſſo prælio fugere, ac ſuos relinquere. Nolle prælij aleam ſubire, niſi ſuperior ſis, & referre pedem, non eſt turpe. Malunt

ſunt boni imperatores vnum ciuem ſeruare, quàm mille hoſtes occidere. Et turpes ſunt, qui clypeum abijciunt. Qui enſem abijciunt, nulla turpitudinis infamia notantur, vt rectè ſentit Plutarchus in Pelopida. Sed tu maiorem curam habuiſti gloriæ tuæ (ſi ea gloria eſt appellanda, & non temeritas, & inſipientia) quàm ſalutis patriæ. Ergò perijſti, nec gloriam vllam ex eo prælio retuliſti, nec patriã parua clade tetigiſti.

---

65. μάλα θρασέως.

TVrnus putat audaciam à Fortuna iuuari. ne verò ſit mirum, ſi Græcum elogium damus Turno,

Nam Turno, ſi prima domus repetatur origo,
Inachus, Acriſiuſq́ patres, mediaq́ Mycenæ.

---

66. CAPVT MVNDI.

ROma dicitur caput orbis, quia omnia pedibus ſuis ſubiecit.

TIBVLLVS.

Roma tuum nomen terris fatale regendis,
Quà ſua de cælo proſpicit arua Ceres.

Porrò gentes olim humanæ Romam, vt deam potentiſſimam colebant. Et eius nos ſimulacrũ egregiũ, & antiquiſsimum,

è marmore porphyrite in ędibus Farneſianis non ſemel, neque ſine admiratione ob artificium & elegantiam ſcilicet vidimus. nec Roma hodie amiſit imperium. Nam Epiſcopus vrbis, qui eſt pōtifex maximus, ſucceſſor Petri, vicarius autem Chriſti, regibus & imperatoribus ipſis imperat. Roma alijs nominibus vocatur Valentia, Amaryllis, Anthuſia, Flora, vel Florentia, & κάτ' ἐξοχὴν vrbs. Vide laudes Romæ apud D. Leonem Papam.

67. Parcere svbiectis.

ROmani magna cura clientes ſuos tuebantur, & ijs qui ſe victos fatebantur veniam dabant, & eorum vitam ac fortunas à maleficio & iniuria aliorum defendebant. Quapropter Anchiſes lib. 6. ait artem eſſe populi Romani

Parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos.

Porrò ſubiectis parcere eſt animi prorſus Leonini. Ouidius.

Corpora magnanimo ſatis eſt proſtraſſe leoni,
Pugna ſuum finem cùm iacet hoſtis habet.
At lupus, & turpes inſtant morientibus vrſi,
Et quæcunque minor nobilitate fera eſt.

Roma autem caput rerum, vt ego à Romanis maximæ autoritatis hominibus accepi

cepi (dicam hoc obiter) tunc condita eſt, cùm ſol Herculei Leonis tergum adiret, vt non mirum eam terris & gẽtibus cunctis vt leonem brutis imperaſſe. Lucius Tarutius Firmanus imprimis Chaldaicis literis eruditus (vt eſt apud Ciceronẽm lib. 2. de diuinatione) vrbis Romanæ natalem diem repetebat ab ijs parilibus, quibus eam à Romulo cõditám accepimus, Romamque, cùm eſſet in iugo Luna, natam eſſe dicebat: nec eius fata canere dubitabat. hac de re etiam vide Ouid. lib. 4. Faſtor.

68. DEBELLARE SVPERBOS.

POpulus Romanus ita generoſus & animoſus fuit, vt non ferret ſuperbiam. Tarquinium ſuperbum regem exegit. Philippum Macedonũm regem nimiùm inſolentem repreſſit, & eius filium Perſen veſtigijs patris inſiſtentem in triumphum duxit: Antiochumque Syriæ regem trans Taurum montem ſubmouit, magnique regis faſtum Græciæ & Aſiæ moleſtum retudit: Et ſuperbæ Carthaginis feroces animos ita tandem fregit ac debilitauit, vt amplius rebellare illa Romæ æmula nõ poſſet. Sunt & alia multa Romæ, & po-

puli Romani elogia, hîc quædam ponemus. *Et facere, & pati fortia Romanum eſt. Omnis ex virtute nobilitas Romæ. Neq; virtus Romæ, neque Roma vnquàm virtuti defuit.* Et in inſigni populi Romani inſunt hæc quatuor elemẽta S.P.Q.R.id eſt, Senatus, Populuſque Romanus. Verùm multi diuerſimodè hæc interpretantur. nonnulli ita: Sanᴄte pater quare rides, & palindromicôs: Rideo quia papa ſum. nonnulli ita: Stultus populus quærit Romam. Ego verò ita: Sapiens populus quęrit Romam: nam beati qui habitant Romam. Alij hoc modo interpretantur: Sono puttane queſte Romane. Imo ſunt Lucretiæ, ſunt Virginiæ, ſunt Probæ. Alij, quos inter Franciſcus rex Galliæ, ità: Sy peu que rien, quòd valdè diminutũ ſit, ac propè debilitatum, & ad nihilum redactum imperium Romanum, vt non falſum vatem fuiſſe quis dicat Virgilium, cùm cecinit res Romanas, perituraque regna. alij pro ſuo arbitrio & ingenio quiſque aliter. Sed ſatis quercus. deſinam ſi oſtendero & hoc Sereniſsimi Allobrogum ducis elogiũ *Fert. .1.* Fortitudo eius Rhodum tenuit, nonnullos ita interpretari, Fœmina ei reſtituit totum.

quòd

quòd ducta in matrimonium Margarita Gallorum rex Philiberto ablata omnia reſtituerit, ſubalpinam ſcilicet & inalpinam regionem. Ita eſt obnoxium momis & cauillis elogium literis nudis ſcriptum.

69. AVRVM REPVDIO.

LEgati Samnitium, cùm ad Curium imperatorem Romanũ cum auri magno pondere veniſſent, repudiati ab eo ſunt, & cum hac ſententia remiſſi: Malo aurum habentibus imperare, quàm ipſe aurum habere. Pauci hodie ſunt Curij, pauci Phociones.

70. SVADÆ MEDVLLA.

ITa vocat Ennius Cethegum ob ſuauiloquentiam. Eſt autem Suada, ſiue Suadela Latinis, quod Græcis Pitho, perſuadendi dea, ita dicta à Pitheo Theſei auo materno, qui primus artis Rhetoricæ libros in vulgum edidit.

71. PRIMARIVS CIVITATIS.

ATtilius Calatinus, in quem illud elogium vnicum plurimæ conſentiunt gẽtes, populi primarium fuiſſe virũ: multam operam nauauit Græciæ, cùm ab

 Antiocho

Antiocho tentaretur, & multis alijs in rebus fuit egregius vir.

72. VIA VI.

NOn ducimur rerum ordine, neque hîc Hiſtoriam ſcribimus, quapropter ne quis me repræhendat, ſi hoc loco oblitum Pyrrhi elogium ponamus. Dictus eſt autem Pyrrhus Achillis ex Deidamia filius, quòd eſſet rutila & rufa coma. Alio autem nomine vocatus eſt Neoptolemus, quòd admodum adoleſcens miſſus ſit ab auo Lycomede ad bellum Troianum: vbi ita ſe geſſit, vt virtute nemini cederet, & vi ſæpe Troianos in vrbem compelleret, vt narrat Vlyſſes patri Manibus apud Inferos imperanti. & apud Virgilium hic adoleſcens animoſus imagine patris ſibi vi viam facit ad domũ Priami, vbi ipſum cum multis alijs ad aram Iouis Hercæi obtruncat.

73. NVNQVAM MINVS SOLVS.

PVblium Scipionem, eum qui primus Africanus appellatus eſt, dicere ſolitũ ſcripſit Cato (qui fuit ferè eius æqualis) nunquàm ſe minus otioſum eſſe, quàm cùm otioſus, nec minus ſolũ, quàm cùm

ſolus eſſet. Magnifica verò vox, & magno viro, & ſapiente digna, quæ declarat illum, & in otio de negotijs cogitare, & in ſolitudine ſecum loqui ſolitum, vt neque ceſſaret vnquàm, & interdum colloquio alterius non egeret. Itaque duę res, quæ languorem afferunt ceteris, illum acuebant, otium & ſolitudo, vt ſcribit Cicero pater Eloquẽtię initio lib. 3. Officiorum: quod opus eſt verè aureum.

74. πονεῖν καὶ κινδυνεύειν.

MArius aſſuefaciebat milites ſuos laboribus, vt cogeret ferre humeris omnem ſupellectilem militarem, & ea quę ad victum pertinent, vnde ærumnę, & muli Mariani. Docebat & intrepidè pericula belli adire, nec hoſtem horrere, nec fugę fidere. Ideò victores ſemper redibant. Teſtes Cimbri, & Teutones, & cum Iugurtha Mauri.

75. CEDANT ARMA TOGÆ.

CIcero coniurationis Catilinariæ oppreſſor, & reipublicæ liberator, gloriatur arma ſibi ceſſiſſe duci togato. Et hoc ſuum tuetur dictum lib. 1. Officior. contra inuidos ſuos, qui illum multa de

ſuis virtutibus temere iactare & prædicare dictitabant. Integrum eſt autem hoc inuidioſum Ciceronis carmen:

Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ.
Vide & orationem in Piſonem fœdiſsimum conſulem habitam.

76. AVDACIA PRO MVRO.

HOc eſt dictum Catilinæ audaciſsimi Romanorum, cuius impiam coniurationem extinxit Cicero imperator togatus. Et verò audacia in bello eſt inſtar muri & valli, & multum poteſt. Porro ij, qui audaces à ſcriptoribus vocantur, ferè infelicem vitæ exitum habuerunt, vt Pandarus, Sarpedon, Aſius, Hector, Pallas, Turnus, & hic nefarius homo Catilina, & multi alij.

77. μεγαλοπρεπῶς.

LVcullus victo Mithridate vitæ ſe lautæ dedit, & magnificè excipiebat hoſpites, & conuiuas ſuos, præſertim in Apolline.

78. TENAX PROPOSITI.

LAudatur à Cicerone, Salluſthio, Lucano, Plutarcho, & multis alijs ſcri-

ptoribus grauitas, conſtantia, & ſancti-monia Catonis, de quo etiam Horatius hæc ceciniſſe carmina videtur,

Iuſtum, & tenacem propoſiti virum
Non ciuium ardor praua iubentium,
Non vultus inſtantis tyranni
Mente quatit ſolida: neque Auſter
Dux inquieti turbidus Adriæ,
Nec fulminantis magna Iouis manus,
Si fractus illabatur orbis,
Impauidum ferient ruinæ.

Et hic idem poëta alibi vocat animum Catonis atrocem, quòd nihil timeret, vt nec Diomedes, cuius eſt hoc dictũ Iliad. ε. τρεῖν μ' οὐκ ἐᾷ παλλὰς ἀθήνη. .i. Minerua lõgè à me repellit timorẽ, nec ſinit trepidare. Ad grauitatẽ Catonis hac tẽpeſtate proximè accedit Nicolaus Laborellius decanus ſancti Petri Arienſis; ſanctitate Catonem longè à tergo relinquit.

---

79. Sol Asiæ.

Marcus Brutus omni liberali doctrina eruditus, & auunculo Catone dignus, ita prouinciam ſibi commiſſam iuſtè adminiſtrauit, vt ſol Aſiæ à cunctis diceretur. nihil eſt enim

iuſtitia illuſtrius. nam ea nos Deo ſimiles facit. Vnde filius ſororis Latini Drances ita laudat Æneam lib. 11.

O fama ingens, ingentior armis
Vir Troiane, quibus cælo te laudib. æquem?
Iuſtitiæne prius mirer, bellíne laborum?

80. INTVS VINO, FORIS OLEO.

POllio cùm rogaretur ab Auguſto, quonam modo ætatem ſuam (magno autem natu erat) tam nitidè conſeruaſſet, vt nec fracta ea, nec debilitata videretur: reſpondit, optimum & lectiſſimum vinũ bibendo, quod cum ſpe diuite manaret in venas: & vngendo corpus oleo puriſſimo, & nobiliſſimo. oleum autem vires firmat, & neruos corroborat, ac laſſitudinem abigit. Vinum lene & generoſum pectus exhilarat, curas & ſollicitudines ſopit, & triſtitiam, quę exiccat oſſa, & artus tabefacit, longè à nobis repellit.

81. CARMEN AMAT.

DOmus Cilnia carmen amauit: & poëtas honorauit. Felix Męcenas: pro munere caduco, æternam famam reportaſti. Et te Virgilius, Horatius, Propertius, & cæteri nobiliſſimi poëtę nocti

Cimmerię

Cimmeriæ & Letheæ paludi ereptum in illuſtriſſimo Glôrię domicilio collocarũt. Es conſecutus Etruſce eques, genus alto à ſanguine regum, quod benignitas tua quæſierat, teſtimonium virtutis tuæ ex Helicone ductum.

Gaudet enim virtus teſtes ſibi iungere Muſas,
Carmẽ amat, quiſquis carmine digna facit.

Hodie verò Mæcenatem paſſibus æquis ſequuntur, & feliciſſimè imitantur Michaël Eſneus Epiſcopus Tornacenſis, Vedaſtus Grenetius abbas Bertinianus, & Philippus Cauerellus, abbas Vedaſtius, pręſules benigniſſimi & liberaliſsimi, vt & multi alij.

82. NVLLI CEDO.

TErminus ne Ioui quidem cedere voluit. Ideò à Virgilio Capitoli immobile ſaxum vocatur. Vſurpauit hoc elogium confidentiæ plenum ſuperiori ſeculo Roterodamus, quàm bene, ipſe viderit, & Critici iudicent.

83. EO OMNIA VNDE.

FLumina ad mare, vnde emanarunt, reuertuntur. Corpora ad terram, vnde formata ſunt, reditum parant. Animi cœlum,

lum, vnde prodierunt, ſpectant, & Deo redduntur. Lucretius lib. 2. rerum natural.

Cæleſti ſumus omnes ſemine oriundi,
Omnibus ille idem pater eſt, vnde alma liquentes
Humorum guttas mater cùm terra recepit:
Fœta parit nitidas fruges, arbuſtáque læta,
Et genus humanum, parit omnia ſecla ferarum,
Pabula cùm præbet, quibus omnes corpora paſcunt,
Et dulcem ducunt vitam, prolémque propagant.
Quapropter meritò maternum nomen adepta eſt.
Cedit item retrò, de terra quod fuit ante,
In terras: & quod miſſum eſt ex ætheris oris,
Id rurſum cæli rellatum templa receptant.

Lucretium etiam ſequitur Virgilius lib. 4. Georgicôn, cuius hi ſunt verſus in eãdem ſententiam,

His quidam ſignis, atque hæc exempla ſecuti
Eſſe apibus partem diuinæ mentis, & hauſtus
AEthereos dixere: Deum namque ire per omnes
Terráſque, tractúſque maris, cælúmque profundum:

Hinc

Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum,
Quémque ſibi tenues naſcentem arceßere vitas.
Scilicet huc reddi deinde, ac reſoluta referri
Omnia: nec morti eſſe locum: ſed viua volare
Sideris in numerum, atque alto ſuccedere cælo.

---

84. Perit tempus.

NIl eſt pretioſius tempore: & dum per tempus vacat, virtuti eſt vacandum. Ideò Plinius, cùm inijceretur ſermo de rebus futilibus, & ineptis, nec quicquam ad Muſas facientibus dicebat, omne perire tempus quod ſtudijs non impertiretur. Quapropter ſemper libris incumbebat, cùm ei per negotia liceret, & Reipublicæ cura permitteret.

---

85. Nondum omnium dierum ſol occidit.

PHilippus rex Macedoniæ pater Perſei, qui à Romanis victus eſt, & in triumphum ductus, cùm videret ſibi quędam ſuperbè imperata, crebrò hoc dictum vſurpabat, minitans bellum, quod morte præuentus filio gerendum reliquit.

Hoc ſymbolũ ita effertur Gallicè, Il n'eſt point ſy tard qu'il ſera. Le monde n'eſt poinct encoyres finé.

86. βραδὺς ὠκύν.

SCilicet κιχάνει. Ex Odyſſeæ θ, vbi Vulcanus tardipes Veneris Maritus Martem velociſſimum deorũ aſſequitur, & technis ſuis implicat, & vinctum cum vxore deis ridendum propinat. Diligentia quiduis aſſequimur. Sic teſtudo tardigrada celerrimum leporem,ſed ſomnolentum,apud Æſopum,nuſquàm ceſſans, neque ſomno, neque inertiæ ſe dedens ſuperat.

87. φθισίμβροτος.

MArs ita vocatur ab Homero, id eſt, pernicies hominum. nam multos haurit gladius, & infiniti interficiuntur in bello. Ideò nónne ſtulti homines,qui ad vocem & cantum aſini, & vituli ad bellũ proficiſcuntur,& in cædes mutuas ruunt? Tympana in Italia ex corio aſinino, in Gallia ex vitulino conficiuntur.

88. προπονεῖν καὶ προβουλεύειν.

DVx debet ſuperare milites ſuos & labore & prouidentia, quod præſtat egregiè

egregiè Clearchus lib. 2. Anabaſ. Et gubernator Reipublicæ multitudinem labore & conſilio præueniat neceſſe eſt, ſi rectè velit officio fungi ſuo, & laudem & gloriam à populo, & poſteritate expetit. Talis fuit conſul Cicero.

89. PATER PATRIÆ.

MVlti imperatores oppreſſa Republica, ab adulatoribus patres patriç appellati ſunt, at

Roma patrem patriæ Ciceronem libera dixit.

Rectè. Verùm hoc nomen maximè conuenit Pontifici Romano, qui vulgò Papa vocatur. Papa Grçcis patrem ſignificat: & hoc nomine compellat Alcinoum filia libro 6. Odyſſ. & infantes ſuos paſſim ita patres appellant, & eſt hæc prima vox puerorum à natura formata. Et Papa eſt vox inferioris ad ſuperiorem. Et Papa eſt pater patriæ. Nam pater patriæ olim cõpendij cauſa ita ſcribebatur pa. pa. poſt alterum pa. puncto adpoſito, quod eſt pater patriç. Verum vulgus hoc ignorans pro patre patriæ legit Papa. nec reprçhendendus eſt à quo vrbis Romanæ Epiſcopus Papa, id eſt pater vocatur, vt nec repræhendendus, à quo pater patriæ voca-

tus eſt primùm. Roma eſt patria communis; & pontifex Romanus ſucceſſor Petri, vicarius Chriſti, & Eccleſię caput viſibile, vt Chriſtus inuiſibile, ſumma omnes caritate complectitur, & vt pater filios, gregem pium amat: & liberalitatem vel in aduerſarios exercet: ita vt hodie, qui Romanum pontificèm viderint & adierint Caluiniani & Anabaptiſtæ, & id genus hominum, ſummopere eum laudēt, nec de eius crumena & beneficentia querantur: ſed eam ad ſidera vſque tollant, & ad ſanàm mentem reuertantur, & cum Eccleſia Romana in gratiā redeant: quod lætandum, & ſummopere gaudendum, oues perditas ad paſtorem verum è cœtu luporum, & Tartareis faucibus redire. Pontifex max. hodie eſt Clemens & re & nomine: qui, ſi quis vnquàm alius, curat, ne grex ſibi commiſſus cuſtodię egeat, & pabulo cœleſti indigeat. Sunt nonnulli, à quibus pa. pa. interpretetur pater patrū, quod pontifex Romanus ſit pater & princeps omnium Eccleſiæ antiſtitum, quæ interpretatio mihi quoque ſummopere placet. omnes epiſcopi olim etiam papę vocabantur.

90. RERVM IRRECVPERABILIUM ſumma felicitas eſt obliuio.

FEdericus imperator longè diſcrepabat ab illis qui Hylam inclamant, & Phaëthontem non auditurum nocte dieque vocant. Ideò amiſſarum rerum dolorem obliuione vlciſcebatur.

91. IN ALLEN.

EſSt dictum Maximiliani Cæſaris *Halt mas*, quo præcipit modum ſeruandũ. Succinit illi Maria Carolo patre Burguntarum principe, & imperatore viro digna herois, *In allen*, in omnibus ſcilicet rebus modũ eſſe ſeruandum, in cibo, in potione, in veſtitu, in ſomno, in Venere, luſu, labore, ſtudio literarũ, & rerũ bellicarum. &c.

92. NVL NE S'Y FROTTE.

ANtonius filius Philippi ducis Burgundionum, heros prudentiſſimus & ſapientiſsimus, & virtute eximia & excellenti præditus terret hoc dicto æmulos & aduerſarios ab iniuria ſibi inferenda. Nam fragili quærentes illidere dentem, offendent ſolido. Sunt & alij ſenſus huiuſce dicti. Nemo me viuẽte, & æthercam

lucem vidente alium in ditione mea violet, vexet, exagitet, calumnietur, lædat, cędat, & leges Burgundicas conuellat, & naucifaciat, iuſtitiam conculcet, ius & fas pro nihilo habeat, conuitijs cœlum prouocet, ſacerdotes vilipendat, religionem rideat, quietem publicam perturbet. &c.

93. SVSTINEBO.

PHilippus Gulielmus Naſſouius, Orangiæ princeps, ampliſſima & illuſtriſſima familia natus, ait ſe in rebus aduerſis forti, & excelſo, atque inuicto ſemper animo futurum, licet ſua nauis à Nereo & Æolo fluctibus & flatibus vehementiſsimis, & importuniſſimis exagitetur.

94. CONVENIMVS AMBO.

FElices ter, & amplius,
Quos irrupta tenet copula, nec malis
Diuulſus querimonijs
Suprema citius ſoluet Amor die.

Ideò beati Lamorallus Ligneius comes regius, princeps Spinoïæ, & Maria Meloduna, concors coniugium.

95. IVNCTA SALVS NOSTRA EST.

Ait Maria Melodunenſium illuſtriſſima domo nata non ſeiunctum iri ſalutem

ſalutem ſuam à ſalute viri, & ſe fore participem & conſortem felicitatum & calamitatum mariti: & coniugem ſecuturam quocunque terrarum Fortuna vocauerit, vt ſecuta eſt Pōpeium Cornelia, Mithridatem Hypſicratea, quam ipſe Mithridates fortiſſimam & animo virili mulierem vocare eſt ſolitus Hypſicratem.

96. FIDE INCONCVSSA.

NObiliſſima domus Barlæmontia affirmat ſe ſemper regi & religioni fidelem futuram.

97. NVMINE ET LABORE.

MIchaël Eſneus Betencurius Epiſcopus Tornacenſium, præſul & ſtirpe, & eruditione, ac vitæ ſanctimonia clariſſimus, ſpem ſuam collocat quidē in Deo, dùm aliquid agendum ſuſcipit, ſed non vult deeſſe ſibi diligentiam & laborem. Munere diuino, & induſtria humana perueniri ad portum, & perueniri ad ſcopum. Ideò non immeritò reprehenditur à religioſo poëta,

Qui medicas adhibere manus ad vulnera paſtor
Abnegat, & meliora Deos ſedet omnia poſcēs.

Nec caret etiam apud Æſopum repræhenſione auriga, qui cùm in ſalebroſum & difficillimum incidiſſet locum, implorat Herculem, vt ſibi adſit, ipſe quietus, nec equos ad laborem, & exitum inde adhortans. Huc pertinet Gallicum prouerbium: Ayde toy, & Dieu t'aydera. Nec abludit à Gallico Italicum. Nõ biſogna ſtar con le mani legate alla centola.

98. TVRNI AC ENSES.

IMpius Æneas improbæ & impuræ mulieris filius vnà cũ Antenore Troiã prodidit Græcis, & deſerta patria in Africam tandem, & inde in Italiam peruenit. In Africa Didonem optimè de ſe meritam fallit, deſerit, & ad certam mortem compellit. In Italia Magum & Ligerim, multoſque alios per patrios Anchiſæ manes, & ſpem ſurgentis Iuli mortẽ deprecantes obtruncat. Quin & Turnum nobiliſſimum heroem & Italiæ acerrimum defenſorem, cui Pilumnus auus, cui diua Venilia mater, idem facientẽ, & pacta cõiuge, & dulci vita & alma luce ſpoliat. Poſt cuius mortem Neruius filius, quẽ ex Scalde Nympha Iuturnæ frater ſuſceperat, collecta pubis Rutulę manu Auſonia excedit,

excedit, & in Galliam nauigat. Ibi & Neruios populos de ſe appellat, & Turniacum vrbem maximam, caput gentis, quod nunc Tornacum dicitur, ex nomine patris condit & ædificat, & fluuio prælabenti nomen matris Scaldæ donat. Ardea quoque vrbs in Morinis originē ſuam ad Ardeam Turni regiam in Rutulis claram & celebrem refert: vt & Turnohæmum, ad Turnum Dauni filium, Neruij patrem, nobiliſsimum regem Rutulorum. Voluit enim Turni & Scaldæ filius patris & matris & patriæ nomen clarum & illuſtre in Gallia eſſe: & dum vixit Troianos ſingulari odio eſt proſecutus: & Romanos Troianorum poſteros apud ſuos poſteros odioſos fecit. Hinc eſt quod ſemper Neruij Gallorum omnium fortiſsimi Romanos, cùm ſe dedit occaſio, vexauerint: & tanto impetu in Iulium Cæſarem Romanorum imperatorem ſtirpem Æneæ incurſauerint, & eum magna parte exercitus, & vita ferè ſpoliauerint Boduognato duce, vt ipſemet ſcribit Cæſar in cōmētarijs belli Gallici, vbi Neruios homines excellēti virtute vocat. Neruij igitur adhuc memores ſui Turni hoc quod adpoſui ſymbolo vtūtur.

Sunt enim in ciuitate Neruia Turni,id eſt, viri animoſi & generoſi, & ſimiles Turni, qui genus ſuũ ad Deos referebat. Sunt & enſes ac optima ferramenta,quibus & ſe, & libertatem ſuam tueantur. Turnus autem Dauni filius ſtudioſus erat præſtantiſsimorum enſium. Teſtis ille, quo fidens, & virtute ſua fretus, & ante omnia æquitate cauſæ Æneam deſertorem Aſiæ ad ſingulare certamen prouocauit. Illum enim *Enſem, quem Dauno ignipotens Deus ipſe parenti Fecerat, & Stygia candentem tinxerat vnda*, valdè probat Virgilius, & ſummis laudibus extollit. Et hęc pauca ſufficiant ad intelligentiã ſymboli gentis fortiſſimæ.

---

99. δύης ἄκος.

DVeſacos,& per ſyncopen Duacos,id eſt curæ, doloris, mœroris, & anxietatis remedium, quo vtitur elogio Duacũ Muſarum domicilium, & florentiſſima omnium Academia. Sine Helicone, & ſapientia vitam ſibi poëtæ acerbam eſſe putant. Pierides puellæ dulciſſimæ & ſuauiſſimæ mœrores abſtergunt, angores ſedant, curas abigũt, ſollicitudines ſopiũt, luctus ſepeliunt, & mortales in tranquillo collocant. Quod multis in Ponto carminibus

nibus, prȩcipuè hiſce verſibus oſtendit Ouidius, poëta, ſi quis, ingenioſus.

Ergò quòd viuo, duríſque laboribus obſto,
Nec me ſollicitæ tædia lucis habent:
Gratia Muſa tibi: nam tu ſolatia præbes,
Tu curæ requies, tu medicina venis.
Tu dux, & comes es, tu nos abducis ab Iſtro,
In medióque mihi das Helicone locum.

Igitur, qui teſtudinem Duacenam, ſupremi Iouis dapibus gratam, laborumque dulce leuamen deſpiciunt, deſpiciantur à Muſis, vt pecudes Arcadicæ, ad ſanam mentem nunquàm redituræ. nam (vt eſt in Italorum prouerbio) *Beſtie ſono, & beſtie ſempre ſaranno.*

---

100. ARDORE CONSENTANEO.

MAtthæus Medullartius Epiſcopus Atrebatium, Prȩſul patriȩ & religionis amantiſſimus, habet in inſigni ſuo duo equorum capita inter ſe obuerſa, qui quidem equi aratrum trahunt. Homerus in comparatione Æacum Iliad. ν. habet duo boum capita. Nam in Grȩcia, vt & in Italia, boues arant terram, vt apud nos equus, animal boue multò fortius, & valentius. Hoc elogio Epiſcopus concordiæ ſtudioſiſſimus innuit omnia in repu-

blica prȩclarè ſe habitura, ſi vnum, & idẽ omnes ſentiant, in diſcordia nullam ſe videre ſalutem. Nam omnia ſusque deque feruntur, & ad perniciem & exitium tendunt, cùm

Scinditur incertũ ſtudia in contraria vulgus.

Et innuit omnibus Chriſtianȩ reipublicæ moderatoribus añimo & zelo non nimiùm ardenti, ſed ſecundum ſcientiam & rectam rationem directo vtendum.

---

101. IVDICIVM COGITA.

IOannes Sixius Epiſcopus Audomaropoleos (qui dũ peteret Montes, Inſulis in patria in morbum incidit, & naturæ conceſsit, ſepultus in templo D. Petri magnifico certè & opulento, cùm tamẽ Stephanus eius ſepulturã optaret, cuius tẽpli non ignobilis, neque incelebris antiſtes aliquando fuerat) in inſigni ſuo gerit vndas & flammas. Vndæ referunt diluuium Noeïum: Flammæ extremũ mundi diẽ, quo die omnia ignis corripiet. Iubet igitur pius, & eruditus homo meminiſſe illius diei, & iudicij ſeuerißimi, & mentem à delictis auocare & ſegregare. nam tunc nil nos iuuare poterit præter benefacta, & ſola nobis virtus erit patrocinio, &

Auernum,

Auernum auertet, & cœlum aperiet. Miſeri erunt, qui illam terribiliſsimi Iudicis vocem audient: Ite maledicti à me in ignem ęternum. Sixium auunculum vocat Ioannes Coiardus canonicus Audomarenſis, vir & pietate, & ſtudio literarum inſignis.

---

102. Esto fortis si mons.

MOntes ſignificant vim magnam. Terentius in Phormione. Is ſenem per literas pellexit modò non auri montes pollicens. Et olim, cùm montes dicerentur parturire, magni & vaſti fœtus expectabantur. Idcircò Petrus Simon (Flandricè Simoens, exindè Simons) Epiſcopus Iprenſis, vir & ingenio illuſtri & doctrina inſigni, & eloquentia ſingulari, ambigua quadam ſignificatione, ac prorſus feſtiuo, & lepido dicto exhortatur ſe ad fortitudinem & virtutem, ſi quidem ſit mons Simons. Et verò Petrus Græcè ſignificat montem ſaxoſum, qui aliter vocatur rupes, vt oſtendatur firmitas Fidei, qua ille cæteris Apoſtolis præſtitit. Simō Hebręis ſonat obedientem & morigerum.

Et ille eſt verè fortis, qui in medijs huiuſce corruptiſſimi ſeculi procellis inuictũ ſe à delicto præſtat, nec à voluptate blandiſſima domina decipitur, ſed voluntati diuinę paret, & repręhenſione caret, vt eſt hic Epiſcopus irrepræhenſibilis. Argutia ſymboli tota pẽdet ex cognitione linguę. Simon verò Simoni optat dignitatem Petri, & lõngæuitatem Simonis, qui exceſsit centeſimum annum.

103. VINCENTI CORONA.

NEmo coronabitur, niſi qui legitimè certauerit, vt cum Apoſtolo ſentit Vincentius Dubur Abbas Sancti Ioannis in Monte, Monaſterij elegantis & magnifici, Ipras & Morinis nunc tranſlati. Vt verò coronam gloriæ à Ieſu Chriſto tandem accipiat egregius hic antiſtes aſsiduè dat operam Iuſtitiæ, & victor benefaciendo in cœlum redire nititur, vitijs, ceu hydris, religioſæ fortitudinis claua, & virtute pia perdomitis.

104. INSTAR OLIVÆ.

DAuid propheta regius pſalmo 51. Ego ſicut oliua fructifera in domo Dei. Et Ieremias ſanctus à natiuitate vates

tes cap. 11. Oliuam vberem, pulcram, fructiferam, ſpecioſam vocauit dominus nomen tuum. Ad quæ loca nobiliſsimorũ vatum reſpiciens Oliuerius Wallæus lector, & ſodalis Sancti Ioannis in Monte, vir & pietate inſignis, & ſcientia ſacrarum literarum, & antiquitatis memoria, & omnis politioris doctrinæ ſtudio excellẽs optat ſe in Eccleſia Dei ſimilem oliuæ.

---

105. ORBITA RECTA.

IOannes Carton abbas Sancti Amandi præſul Themidis & Aſtreæ ſtudioſiſsimus, ait rectam ſemitam eſſe ſequendã, neque extra Iuſtitiæ viam declinandum, ne latum quidem vnguem. Qui ſecus fecerit, eum delirare, & tandem graues iniuſtitię pœnas daturum.

---

106. E RVPE VNDA.

PEtrus de Blondeau abbas Haſnonenſis in Hannonia regione nobiliſsima, ait è rupe vel petra (quo nihil durius, nihil aſperius) aquam (quo nihil dulcius, nihil mollius) prodire. Ouidius:

Quid magis eſt durum ſaxo, quid mollius vnda?
Dura tamen molli ſaxa teruntur aqua.

Quid

Quid ſibi velit hoc ſymbolum cuiuis facilè, vt opinor, patet. non autem ab hoc dicto longè abludit ænigma Sanſonium. E forti dulcedo. Et Moſes è petra elicuit aquam, vnde hoc ſymbolum videri poteſt ſumptum. Feritas doctrina lenitur; & à Muſis duritia morum mollitur.

Adde quòd ingenuas didiciſſe fideliter artes
Emollit mores, nec ſinit eſſe feros.

Obijt autem hic mitiſſimus & humaniſſimus antiſtes à flauenti aqua cognomen ſortitus 17. Martij die, hoc anno 1602. Cui ſucceſſit Leodegarius Tizon, vir & magnanimus, vt leo, & ſtudio pietatis, & Heliconię humanitatis mirè incenſus, natus in alma Duacenſis Aganippes Academia.

---

107. DIEV EN AYDE.

Loys de Sainct Omer Seigneur de Morbecque, et Vicomte d'Aire. &c.

LVdouicus Morbecquæ dominus, & Aëriæ vrbis egregiæ vicecomes nobiliſſimus, ampliſſima & antiquiſſima Sācti Audomari domo genitus diuinam opem, vt pium & religioſum hominē decet, ſemper implorat: vt & Dauid delicię & amores omnipotentis Dei, cuius hoc carmen frequens eſt in ore Eccleſię. Deus in adiutorium meū intende, Domine ad adiuuā-

dum

dum me feſtina. Et hoc faciunt homines verè prudentes, qui ſuis diffiſi viribus cœleſti nituntur auxilio, & æthereos Tartareis hoſtibus obijciunt clypeos. Et verò, ſi deus pro nobis, quis contrà nos?

---

108. TOVT A TOVR.

OMnium rerum eſt viciſſitudo, vt affirmat hoc perquam ſolerti elogio Antonius de Cayeu Byeumontij dominus, homo & nobilitate, & doctrina, & humanitate, & pietate inſignis. Miram autem eſſe rerum mutationem; vt omittã Horatij ſeptimam oden libri quarti, oſtendit egregiè Pythagoras libro vltimo metamor. cuius hæc pauca hîc ſubieci carmina.

Antoine de Cayeu Seigneur de Byeumont.

Clara fuit Sparte, magnæ viguere Mycenæ,
Necnon & Cecropis, necnõ Amphionis arces.
Vile ſolum Sparte eſt, altæ cecidere Mycenæ,
Oedipodioniæ quid ſunt niſi nomina Thebæ,
Quid Pandioniæ reſtant niſi nomen Athenæ?

Quem ſecutus Sannazarius poëta venuſtiſsimus lib. 2. Elegiarum Elegia 9. de interitu Romæ, Venetiarum, Neapoleos hæc vaticinatur.

Non tu ſemper eris, quæ ſeptem amplecteris arces,

Nec

Nec tu quæ medijs æmula ſurgis aquis.
Et te(quis putet hoc?)altrix mea durus arator
Vertet,&,Vrbs,dicet,hæc quoq; clara fuit.
Fata trahunt homines: fatis vrgẽtibus vrbes,
Et quodcúnque vides auferet ipſa dies.

Huc pertinet & hoc prouerbiũ nos mortis admonens: Hodie mihi, cras tibi. Et carmẽ Propertij, Vinceris, aut vincis,hęc in amore rota eſt. Et Homerus vocat Martẽ ἀλλοπρόσαλλον, quòd modò huic, modò illi faueat, & ferat auxilium: & Victoriam alternantẽ vices ἑτεραλκέα νίκην. Et Fortuna nunc proſpera, nunc aduerſa ad nos aduolat.

Multa dies, variúſque labor mutabilis æui
Rettulit in melius: multos alterna reuiſens
Luſit, & in ſolido rurſus Fortuna locauit.

109. Aper aspera.

SCilicet quærit. Hoc eſt elogiũ gymnaſij Porcenſis Louanij longè celeberrimi, & omni virtutum, & diſciplinarum optimarum, & præclariſsimarum genere refertiſsimi. Indicat autem ſcientiam non niſi per magnos labores & ſudores, & aſperrima quęque quæri & parari. Nam via, quæ ducit ad virtutem, vt ait Heſiodus, eſt horrida, & rubis & ſentibus obſi-

ta, & difficultatis pleniſsima, nec niſi poſt longas moleſtias, & atroces ærumnas cāpos faciles aperit, feliceſque domos Aretes oſtendit. nam vt cecinit optimus poëta,

Per varios caſus, per tot diſcrimina rerum
Tendimus in Latium, ſedes vbi fata quietas
Oſtentant : &, *haud citra puluerem* peruenitur ad amœna Aoniæ vireta, vt loquitur Nicolaus Laborellius Decanus Sāc̃ti Petri Arienſis, homo, cui placet, non impij Areos, ſed pię Aretes enſis, & qui *in omnibus laborat*, quæ præcipit dilecto diſcipulo dictus gentium doctor Apoſtolus.

---

110. LILIA CRESCVNT.

SCripſerat neſcio quis inuidus hoc carmen in gymnaſium Lilij apud Louanienſes florentiſsimi, *Lilia marceſcunt*: Sed beneuolens Academiæ Liligeræ adiecit, *Mentiris liuide, creſcunt.*

---

111. AMA, ET TIME.

ADrianus Faber philoſophus, & theologus inſignis, & canonicus Audomarenſis nulli pietate, nulli humanitate, nulli benignitate ſecundus, vult Deum à ſe, & omnibus amari, & timeri, timore

ſcilicet

ſcilicet filiali. Initium ſapientiæ timor domini. Et qui amat Deum à Deo viciſſim amatur: quo quid felicius? Muſæ precantur Fabro (quia egregiè opera Fabrilia facit, & totus in virtute viuit, & Heliconem ſummopere diligit) talem mitrã, qualem gerit Archiepiſcopus Toletanus, omnium ditiſsimus.

---

112. Tempore dvlcescit.

Antonius Surius Bethuniẽſis Theologus, & præſes gymnaſij regij in alma Duacenſium Academia, quem peſtilentia adhuc ætate integra nõ ſine omniũ luctu & gemitu abſtulit, in ſtemmate gentilitio gerebat vuam in ſole matureſcentem, indicans iracundiam tempore miteſcere. Surius Gallicè acerbum ſignificat, & tamen nihil acerbitatis in illo homine erat. Adoleſcentia pronior eſt in iram: ſenectus mitior, & lenior: vnde illud apud Horatium,

Lenit albeſcens animos capillus
Litium, & rixæ cupidos proteruæ,
Non ego hoc ferrem calidus iuuenta
Conſule Planco.

Precor viri optimi, & humaniſsimi, & ad hoſpites liberaliter tractandos paratiſsimi
meritiſsimis

meritiſsimis Manibus ęternam quietem, &placidiſſimam pacem,& vt idem facias, te etiam atque etiam lector rogo.

113. Tempora tempore tempera.

SApientis eſt (inquit Cicero) eum tenere in republica regenda curſum, quem tempus exigit,vt gubernator nauis ſępe in mari non voluntati, ſed tēpeſtati paret. Dauid, Solon, Vlyſſes, Brutus ſeruierunt temporibus, & inſaniam aliquando ſimularunt. Nam, vt canit Dionyſius Cato, Stultitiā ſimulare loco prudentia ſumma eſt. At homines pręfracti neſciunt vti foro, & cuncta ſæpenumerò peruicacia ſua perturbant & peſſundant. Sic helluones librorum ſæpe officiunt valetudini, dum non tempore ſuo libris incumbunt. Aurora Muſis amica. Intempeſtiua ſtudia fugienda, maximè poſt cœnam. Chi più mangia, manco mangia. Chi più ſtudia, manco ſtudia. Tabellarius in reddendis literis debet etiam eligere idoneum tempus. Medicus quoque tempora ſeruat, ſeruat & agricola. Suo igitur tempore quæque facienda. Scitum eſt illud Didonis ad Annam, Sola viri molles aditus, &

tempora noras Hoc autem ſymbolo perquàm eleganti & feſtiuo vtitur Antonius Aubron nobili genere, nobili doctrina Iureconſultus, gener Guidonis Rogerij, quem virum optimum ſuperior menſis nobis eripuit morte nimis importuna, dolentibus omnibus, qui Calliopen, & Iätricen, & Euſebéam venerantur & amant.

---

114. TENTANDA VIA EST.

VIrgilius lib. 3. Georgicôn hoc ſymbolum Gerardi Aubronij iuuenis ingenio, doctrina, ſtirpe, & familia nobili egregiè explicat,

Cetera, quæ vacuas tenuiſſent carmina mentes,
Omnia iam vulgata. Quis aut Euryſthea durum,
Aut illaudati neſcit Buſiridis aras?
Cui non dictus Hylas puer, & Latonia Delos?
Hippodaméque, humeróque Pelops inſignis eburno,
Acer equis? Tētanda via eſt, qua me quoque poſſim
Tollere humo, victórque virûm volitare per ora.

Tentauit Virgilius nomen ſuum beneficio Muſarum ęternitati conſecrare, quod

&

& conſecutus eſt. Tentat & Aubron, & conſequetur. Muſæ enim faciles ſunt, & cultoribus ſui famam perennem concedunt. Reſpicit hoc ſymbolum & aliam mentem. Tentandum eſt quanam ratione lites quàm breuiſſimè expediri poſſint. Habet autem hoc Aubronia virtus, vt quàm celerrimè litem & controuerſias quantumuis magnas ſecari velit, & odit rixas & iurgia Chriſtiano homine certè indigna, & inuidet Eridi peſſimæ deæ, imo Furiæ, immortalitatem, & pro parte virili hi Iuſtiniani, imò Iuſtitiæ alumni concordiæ ſtudent. Nil profectò nocet tentare, quonam pacto à nobis diſcordiam quàm longiſſimè reijciamus, & nodos litium vel ſecuri Tenedia diſſoluamus, aut potius diſcindamus, & abrumpamus. Tentando Græci ad Troiam peruenerunt, & deus operi manum admolienti fauet, & dimidium facti, qui bene cœpit habet. Et vbi inceperimus, ilicò cum Terentio dicemus: Iam pedum viſa eſt via. Poteſt & hoc ſymbolum ad alia quoque multa transferri. Tentandum eſt quanam ratione hoc coniugium, hũc magiſtratũ, hoc imperiũ, hoc ſceptrũ, hoc nomẽ & numẽ cęleſte adipiſci poſsim. &c.

115. FESTINA LENTE.

IOannes Lentus (Gallicè Tardieu) feſtiuè ſe ad feſtinantiam adhortatur, alludens ad ſymbolum Auguſti, Feſtina Lẽtè: ſed alio ſenſu.

116. NE VIBRA, SED REDVC.

TEmperandum eſt iræ, nec gladius educendus, & eductus in vaginam ilicò reducendus, nunquàm certè in rixa (niſi iuſtum ſit prælium) in aduerſarium vibrandus, ne vibrationem pœnitentia cum pœna confeſtim ſequatur. Ita admonet Achillem Minerua lib. primo Iliados, cùm videret ſtricto gladio iuuenem ira incenſum Agamemnonem inſequi. Et ad eum modum quoque ſe hîc incitat ad placabilitatem Andreas le Duc latinè Dux, Cameracenſis adoleſcens; & ferocem animum admonet, ne præceps in cædem ruat, & ira inflammatus rationem deſtituat.

117. MODERATA DVRANT.

IOannes Durantius (Gallicè Durant) vir pius & moderatus habitans Grauelinæ inſigni opido Flandriæ (vbi Aa flumen noſtrum Oceano miſcetur) ait moderata

derata durare. Et rectè. Summis negatum ſtare diu. At aurea mediocritas durationem patitur. Lege oden 10. lib. 2. carminum Horatij.

118. MORS ET VITA.

PHilippus Syluius (Gallicè Du bois) non ignobili familia natus, & ingenio nobiliſſimo præditus, oſtendit mortem culpa Euę è ligno proceſſiſſe: & beneficio Chriſti vitam ex eodē ligno eluxiſſe. hic eſt Philippus Nardiorum curio & paſtor, alumnus Muſarum, & poëta camœnis tàm latinis, quàm Gallicis cariſſimus, & per orbem terrarum Męonij carminis alite clariſſimus.

119. MEA CVRA POESIS.

MIdæ curant cenſus, Parides Helenas, at Hubertus Clericus poëta diuinus (ſciunt Inſulę) Muſas. ô hominē ter felicem, qui Camœnas amat, & à Camœnis viciſſim amatur!

120. POST HÆC MELIORA.

FLorus Oreſmelius (Gallicè D'oreſmieux) Adriani viri ſpectatiſsimi, & huiuſce vrbis conſiliarij primarij filius,

ingenio iuuenis illuſtri, eximia legum ſcientia, & natalibus clariſsimis præditus & ornatus, pollicetur indies ex ſe ſemper meliora & prȩclariora. Vſus, & experientia, & exercitatio nos quotidie ſapientiores, & doctiores, & excellentiores, atque præſtantiores multò facit. Diſcipulus eſt prioris poſterior dies, & laudem adipiſcitur homo poſterioribus melioribus.

---

121. BONVOISIN.

LAtinè Bonus vicinus, Græcè γείτων ἀγαθὸς placet ſupra omnia Heſiodo poëtȩ antiquiſsimo, qui felicem vocat eũ, qui bonum vicinum habet. Si bonum vicinum habeas (inquit) omnia tua erunt tuta & ſalua, ne pullum quidem gallinaceum amittes; & ſecuros carpes ſomnos. Et prudentiſsimus ille Atheniẽſium princeps fundum venditurus adiecit, & eum bonum vicinum habere. Hoc verò vtitur ſymbolo, vt & cognomine, Ioännes Bonus-vicinus I. C. & Procurator huiuſce ampliſſimæ & ornatiſsimæ ciuitatis, necnõ Quæſtor trium ordinum Arteſiæ, nobiliſsimæ inter Belgas prouinciæ; vir ingenio, doctrina, fide. natalibus, & parentibus optimis, & bonitate, & vicinitate

benigna,

benigna, & comi maximè expetendus.

122. ADSPIRA SPIRA.

ANdreas de Spira I. C. clariſsimus, & profeſſor ſapientię veræ, & non ſimulatæ, in inclyta Duacenſium Academia, vir ęqui & boni perſtudioſus, & animo magno & excelſo præditus, hortatur ſe, vt olim Cato, ad honeſtā ambitionem, & adſpirationem honorum, dignitatum, magiſtratuum, & adeptionem nominis, & gloriæ. Aſpirat & ad cæleſte regnum, & ſupremam felicitatem. Idcirco adſpirat æquitati, & fauet cauſæ viduarum, & orphanorum, & inſontium hominum, hoſtis acerbiſsimus ſycophantiæ, & calũnię. Sic enim itur ad aſtra.

123. PROVIDE, ET VIDE.

ADrianus Gaudius Harlemenſis I.C. clariſsimus & celeberrimus, & nunc, vt audio, Præſes Limburgenſis prouinciæ longè optimus & ęquiſsimus, ac prudentia & ſagacitate ſingulari præditus, maximè probat diligentiam & prouidentiam, & falli ac decipi turpiſsimum putat.

124. Petit a petit.

IAcobus Paruus petitus imò expetitus ab omnibus ob artem & ſcientiam,qua inter pharmacopolas noſtri temporis excellit, homo linguæ Græcæ,& Latinæ, necnon Italicæ, & Gallicæ, & Flandricæ, vt omittam alias,peritiſſimus,& longa peregrinatione, vt Vlyſſes, prudentiſſimus, ait rem non,prȩcipitandam,ſed ſenſim ac pedetentim, quò volumus, perueniendum. Canis feſtinans cæcos parit catulos. Et præclara eſt ſententia Salluſthij: Antequàm incipias conſulto, &, vbi conſulueris, maturè opus eſt facto. Et prouerbium eſt Italicum: Col tempo ſi maturano le Neſpole. Et,Sat citò, ſi ſat bene. Dicunt Itali, pian piano, & poco à poco; Græci βάδην. Et ità hoc ſymbolũ eſt in ore omnium gentium.

125. Mori restat.

NEmo mortem effugere poteſt, & fatum eſt ineuitabile, & calcanda ſemel via lethi. Horatius:

Cùm bene natum
Porticus Agrippæ, & via te conſpexerit Appi,

Ire

Ire tamẽ reſtat, Numa quò deuenit & Ancus.
Et reuera, Puluis & vmbra ſumus. hoc eſt ſymbolum Roberti Gheuzerij Franciſcani pietate, humanitate, & benignitate, nobilitate etiam inſignis, cuius in Muſas, & Pieriam domũ nemini, prodentibus Muſis, obſcurum eſſe poteſt ſtudium. Huic fuit frater, Gerardus, ſacerdos optimus, & officij ſui (ſcit Armentaria) diligentiſſimus, quem nuper mors atrox & importuna virum ætate adhuc integra nobis & Aoniæ, cuius alumnus, & cultor celeberrimus erat, eripuit, vt illa nulli parcit ætati, & pro libidine animi ſui aufert ſenes, aufert iuuenes: & cùm autorem vitę tetigerit, quis ab ea ſe tutum fore ſperet?

126. NE SOIS IOVRNY, SANS LVMIERE.

HOc eſt ſymbolum Iacobi Iurnij, Petri filij, huiuſce ampliſſimæ ciuitatis Audomaropoleos ſecũdi ſcribæ, & actuarij ſtirpe, ingenio, doctrina nobilis, & maximi Muſarum alumni. carmina teſtãtur, quæ, ſi nomen Iurnium demas, Andinũ vatem compoſuiſſe putem, vel Vindomicem. Nam Gallia, vt & Latium, eius excellentiam in arte poëtica nouit.

Vult autem ſe hic ſplendidiſſimus poëta nunquam à lumine deſtitui. Lumen autem intelligi poteſt vel eruditionis, vel nominis & famæ, vel quod maximè prudentia Iurnia expetit, virtutis & Iuſtitiæ. Et Iëſus Chriſtus eſt ſplendor patris, & ſol Iuſtitiæ. Hunc igitur vult maximè in corde ſuo locum habuere. Effertur & aliter ſymbolum iuuenis acutiſſimi & argutiſsimi: *Ne ſois iour, ny nuict ſans lumiere*. i. neque de die neque de nocte careas lumine. Sol diem luſtrat, luna noctem. Et periculoſum eſt noctu ambulare abſque lumine, & in laterna latente Vulcano. Iour Gallis, Giorno Italis ſignificat diem. Semper ſplendet Aonia; & lumen Pieriũ nunquam deſerit vatem egregium.

---

127. *μακάριος*.

IOannes Macarius Grauelinganus verè hoc nomen obtinet. Is nunc Canonicus Aëriæ degit, & inter eos numeratur, qui ſunt 14. claſſis. Peritiſsimus eſt linguę Græcæ: dum habitauit in Italia omnibus gratus fuit ob humanitatem, & morum ſuauitatem, & iucundiſsimè cum Muſis per multos annos, idque in Vrbe vixit. quo quid beatius? Cælibem ſequitur vitam

tam, nulli grauis, nulli moleſtus, alter prorſus Mitio. Hoc tamen vno infelix mihi videtur, quòd pacatam regionem reliquerit, vt in has ſe belli procellas conijceret. Sed non ſemper, quod volumus, facimus, & Alaſtor quidam ſæpe votis noſtris obſtat, & nihil eſt ab omni parte beatum.

128. SIMON D'ORMIS EN MA bourſe.

SImon Tilius vir planè bonus, qui mihi ſuum nomen indidit, cùm ſacro fonte lauarer, hoc ſymbolum vſurpat. Simon (cui Petro cognomen à Chriſto datur) aliquando ſomnolentiæ accuſatur, & clamat ad eum dominus, Simon dormis? Hic autem feſtiuus homo ludit ex ambiguo. Gallicè autem melius feſtiuitas & argutia dicti percipitur. Optat autem Tilius, vt Simon aureus in crumenam ſuam demittatur, & poſitum in marſupio aureum Simonem amplectitur. Ioco id dictum. nam liberaliſsimus fuit, ne quis eum auarum ſomniet.

129. ὑψιπέτηλος.

SImon Altifolius (Gallicè de Haultefueille)

fueille) vir militaris, & iuſtitiæ & pietatis ſummus cultor, vt arbor procera, ſemper in altum tendebat, & excelſa animo concipiebat & concupiebat, & ſuper omnia gloriam Dei quærebat, & Religionis propagationem, talis prorſus miles, qualem deſcribit ſanctus Ioannes Baptiſta. Hic meus altor fuit, & ordines ſæpius in Belgio ſub magnis Imperatoribus magna cũ laude duxit homo verè nobilis, & nobili domo ortus; cognatus Eligij Altifolij hominis optimi & integerrimi.

130. MEMENTO DAVID.

DAuid antiquiſſima Ogeriorum familia natus abauus meus, homo mitiſſimus & manſuetiſsimus, vt regius ſibi cognominis propheta, clementiam maximè laudabat, & morum ſuauitatem, & affabilitatem conſectabatur. Et ſemper memor erat pietatis, nec immemor erat Heliconis; nec amicorum, à quibus etiam ſui perennem memoriam poſtulabat.

131. BARTHOLOMEVS.

BArtholomæus proauus meus, cùm redijſſet cum Ioanne Burgundionum principe ex illa nõ ſatis felici expeditione

Turcica

Turcica multis acceptis vulneribus,& cõtuſis & mutilatis artubus, aiebat ſibi,cùm caneret tuba, pro clypeo librum amplexandum, & Bartholum pro Marte ſequẽdum. Tamen animus erat in prelio: erat enim vir militaris, & cuſtos fuerat corporis Iöannæi. Verùm vires non reſpondebant animo, & pectus generoſum plagæ retardabãt, & cor deficiebat robur dignũ Ogeriana virtute. Dicitur autem Bartholo pro Bartholus more Venetorum, qui etiamnum dicunt Ioannes Bernardo, pro Bernardus, & Andreas Gradenico pro Gradenicus. Efferebat & ita ſuum ſymbolum. Bartholo mio,quaſi iam ſuus eſſet futurus Bartholus, non Mauors.

---

132. NON AGER, ANNVS.

ENguerannus auus meus vir heroica corporis ſtatura (vt omnes ferè Ogerij ſunt procero corpore) aiebat annum, non agrum producere. Et certè aëris temperies, & habitus anni plurimùm confert ad prouentum rerum è terra naſcentium. Et natura multum poteſt, ſed & educationis maxima eſt habenda ratio.

133. AR-

133. ARDEAT ALEA.

ALardus, ſiue duplici L. Allardus, & Adelardus, & Aleardus pro eodem accipiuntur homine. Hoc nomine fuit vnus ex quatuor filijs Amonis herois decantatiſsimi; fuit & pater meus, qui ſingulari odio proſequebatur aleam legibus vetitam, & folia luſoria Vulcano ſacranda cenſebat, vt damnum & iacturam ſecum trahentia.

Ieu de cartes, & ieu de dé
Mainent l'homme à poureté.

Ideò rectè pręcipit pueris Dionyſius Cato, trocho ludant, aleas fugiant. Quo ſemel eſt imbuta recens ſeruabit odorem Teſta diu.

134. IÖ. ANNA.

IOänna Bernarda, auia paterna, vxor Enguerani crebrò vſurpabat hoc dictũ, *Sans varier*, & laudabat conſtantiam & ſanctitatem Iönis filiæ Inachi, vxoris inclyti Oſiridis; & prudentiam & fidelitatem Annæ filiæ Beli, ſororis egregiæ Didonis; & pietatem & religionem vtriuſque. Nam auia mortuo coniuge quamuis adhuc eſſet forma bona, & ętate inte-

te integra,& inſtar heroidis longa, & præſtanti corporis ſtatura, nunquàm induci potuit, vt matrimoniũ repeteret, quamuis ambiretur à multis, ſed in cælibatu & viduitate permanens mulier neque multinola, neque varia, neque mutabilis tẽpla frequentabat,& virtutibus operam dabat, ieiunio corpus macerans, & voluptates procul à ſe temperantia ablegans. Hoc ſatis. nam quidam me repræhendunt, quòd laudem meos, quos volunt ab alijs laudari, & commemorari. Egregia oratio. Ego verò non meos commemorarem, & manes eorum in obſcuro ſinerẽ? Iubet pietas, vt hoc faciam, & Ogeriam domum, quantum poſſum, illuſtrem,& ab obliuione Lethea vindicem. Et abauus quoque meus ad me ſæpe clamat, & hoc dictum auribus inſuſurrat, Memento Dauid. Ego pareo abaue libentiſsimo corde. Intelligis liuor fœdiſsime? nam, ſi meos non commemorauero, quis eos commemorabit? Inuidia? minimè verò. Et quæro ex te homo venuſtiſsime, quare tu tuos nõ cõmemores. Hæret aſinus, nec quid reſpõdeat habet. Ego pro illo reſpõdebo. Id fit non ex tua modeſtia, ſed ex imperitia & inopia ingenij, & doctrinæ.

nunquàm

nunquàm tibi res eſt cum calamo, & ferrugine atra. Nullum cum libris, & cirrha commercium: verùm eſt cum vino, eſt cum alea, ne quid grauius dicam. Rem verbo abſoluam. Si poſſes, faceres: non autem potes; quia es Amuſus, id eſt (vt Itali interpretantur) zitello di Mida, padre d'ignoranti.

135. νικᾷ νικασία.

NIcaſia mater mea, nobili Hauerloſiorum domo nata, cohortatur ſe ad victoriam. contendebat autem illa cum ſuis æqualibus (quarũ venuſtiſsima erat) virtutis, non voluptatis armis: & eas ſuperare nitebatur pudicitia, modeſtia, ſanctitate, arte œconomica, & ceteris rebus, quæ ſpectantur & laudantur in muliere pia, & religioſa.

136. BONVM FRAGILE.

MAria ſoror mea, quæ mortem obijt annum 18. nata, cùm laudaretur ob formam (formoſiſsima enim erat) aiebat formam eſſe bonum fragile, & citò extingui, vel ætate, vel leui quapiam febricula. Tempus edax rerum omnia deſtruit, & flores citò ſuum amittunt nitorem.

137. Tecvm habita.

Beatus ille, qui procul negotijs,
Vt priſca gens mortalium,
Paterna rura bubus exercet ſuis,
Solutus omni fœnore.

Vt cecinit Horatius poëta aulicus, omni doctrina eruditus: Et certè, qui eſt contentus fortuna ſua, & prę luſtria potentum limina vitat, & amicitias ſibi pares iungit, licet inglorius, molliter agit æuum.

Crede mihi, bene qui latuit, bene vixit, & intra
Fortunam debet quiſque manere ſuam.
Non vixit malè, qui moriens, viuúsque fefellit.

& antiquum prouerbium, λάθε βιώσας, idem nobis præcipit: præcipit & Satyricus poëta hoc carmine

Tecum habita, & noris quàm ſit tibi curta ſupellex.

præcipiunt & mille alij poëtæ. Sed hæc ſatis eſſe duximus ad oſtendendum felicitatem eorum, qui ſpretis opibus & honoribus, procul ambitione miſera, & leui priuatam &

tranquillam paruo contenti ducũt vitam. Hanc duxit vitam Leuinus cognatus noſter, & cuſtos pueritiæ meæ, homo pius, & religioſus, & ſanctitate vitæ admirabilis, qui nunquàm duxit vxorem, & cælibatum perduxit ad centeſimum ferè ætatis tranquilliſſimæ annum, nigro adhuc capillitio,& nullis dentibus amiſſis,ſi quis alius, hoſtis acerbus luxuriæ, & intemperantiæ,& hoc dictum,Tecum habita,ſemper in ore habens. Quod etiam dici poteſt de eo, qui admonetur, vt in ſeipſum deſcendat, & ſua ipſiuſmet vitia inſpiciat, nec ex aliena intumeſcat fortuna.

---

138. TEMPORA LABVNTVR.

Soles occidere, & redire poſſunt,
Nobis, cùm ſemel occidit breuis lux,
Nox eſt perpetua vna dormienda.

Quapropter, dùm licet, ſtudendum eſt virtuti. Iam tempus aderit, cùm minimè licebit nobis (impediet nox cum morte) operari, vt cum Apoſtolo ſentit Martinus Ogerius, mihi & cognatione, & amicitia ſumma ob ſimilitudinem ſtudiorum coniunctus. Nihil autem eſt annis, nil tempore velocius:

Tempora labuntur, tacitiſq́; ſeneſcimus annis,

Et fugiunt fræno non remorante dies.
Poſt mortem nullus preci apud ſeuerum iudicem locus, ſi impius è vita deceſſeris, nec venia ſperanda, & ad virtutem & pietatem via tibi erit intercluſa; & habitanda in ęternum Tartara improbos manes cruciabunt.

---

139. FRANCQ CHEVALIER.

FRancus eques vocabatur olim homo militaris, paratiſſimus ad defenſionem religionis, & iuſtitiæ & libertatis Chriſtianæ. Et hoc nomine in quodam cantico compellatur à puerorum & puellarum choro Ogerius rex Danorum (ad quem generis noſtri primordia referimus) & ſummis excipitur laudibus, quas impertit etiam puellaris ætas Dauidi & Lino, quē Oetolinum Sappho vocat. Hoc ſymbolo delectatur Franciſcus Ogerius filiolus noſter, qui maiorum cupit eſſe quàm ſimillimus: deus voto puerili annuat, & eum fortiſſimum & iuſtiſsimum faciat.

---

140. BELGIS BELLA.

SAtietas eſt (inquit Homerus) epuli, tripudij, cantus, ſomni, Veneris, & luſus &c. At belli ſatias nunquàm capit

Belgas: & ſemper Belgis bella placent. Quieta eſt Italia, quieta Germania; pace fruitur Hiſpania, pace Francia; neſcit tumultum Hibernia, neſcit Britannia, ſoli Belgæ ſunt in armis, nec pacem volunt, nec concordiam recipiunt.

Quò vobis mentes, rectæ quæ ſtare ſolebant
Antehac, dementi ſeſe flexere ruina?

In mutuam cædem ruitis Belgæ, & ſanguine fraterno Oceanum, Moſam, Rhenum, Scaldam, Sabin, Liſam, & terras & campos longè pulcherrimos inficitis. Iam Belgiũ ſchola Martis, & officina Bellonæ ab omnibus gentibus ſtultitiam & demẽtiam noſtram ridentibus appellatur. Iam quadraginta plus minus anni ſunt, poſtquàm apud nos tumultuari cœptum eſt, nec Gradiuum belli, belluæ omnium teterrimæ autorem & altorem in Thraciam remittimus. Vtinã eſſemus finitimi Turcis, vel ad Helleſpontum, vel ad Iordanẽ bellaremus, hoc bellum nobis non turpe, ſed glorioſum: non luctuoſum, non dãnoſum; ſed lætum, & lucroſum eſſet. Pro Chriſto, & Chriſti gloria, & religione Chriſtiana mori, ſumma eſt voluptas, ſumma eſt felicitas ijs, qui bona mente fruuntur, & recto ducuntur iudicio. Precor autem

autem toto corde, vt optimus & religioſiſsimus princeps Albertus breui rerum potiatur, & Conſtantinopolitanum fortiſſima & feliciſſima manu propediem gerat ſceptrum.

141. DA ENS.

ABrahamus Daens illuſtri ingenio, & egregia fide notarius, & tabellio regius ſymbolum habet ſimile cognomini. Præſtãtiſſima & nobiliſſima illa natura diuina, quæ ex ſe æternam habet originem, & alijs omnibus rebus originem præbet à Moyſe Iehoua, ab Homero Zeus, ab Ennio Iouis appellatur, ab omnibus cõmuniter Deus. quẽ Ariſtoteles iam iam moriturus ita compellaſſe dicitur: Ens entium miſerere mei: quẽ & nos, quęſo, hac prece adoremus. Da ens, nam deus es omnipotens, da obſecro concordiam principibus Chriſtianis, da pacem Eccleſię, da finem Turcico imperio, da nobis mentem religione ſanctiſſima dignam, da poſt hanc miſeram & miſerandam vitam fruitionem tui vultus, quæ ſumma eſt felicitas. Amẽ.

SOLOR OLOR.

SIMONIS OGERII
AVDOMAROPOLITÆ
I. V. DOCTORIS

Momi.

Ad clariſsimum virum Ioannem Huueterium Ferrarium I. C. doctiſsimum & eruditiſsimum, & in Academia Duacenſi legum Iuſtinianearum interpretem, & profeſſorem regium lōgè celeberrimum.

ANTVERPIÆ,
Apud Martinum Nutium.
ANNO M. DCII.

CLARISSIMO [redacted]O

IOANNI HVVETERIO FERRARIO,

IN ACADEMIA DVACENSI IVRISPRVDENTIAE Profeſſori doctiſsimo SIMON OGERIVS S. P. D.

MAGNVM eſt argumentum, illum eſſe virum probum, qui vitia frequenti ore carpit. nec quiſquam hoc tempore inueniatur, qui maior peſsimorum facinorum hoſtis ſit te Ioannes Huueteri Iuriſconſultorum optime & doctiſsime, necnō ęquiſsime & iuſtiſsime. Sēper enim Demoborū, sēper Dorophagūm, & id genus hominū, qui Reipublicę nocēt, & calamitates maximas ſua iniuſtitia & auaritia nobis importāt, carpis & reprehēdis, nec improbos, nec impios mortales

tales pateris, ſed eos odio prorſus Vatiniano proſequeris, & Horatianis ſermonibus, & Parijs Archilochi Iambis dignos iudicas. Quare vt rem tibi gratam, hoſce Momos, quos nuper ludibundus, & iudignabundus effudi, vitioſos hominum affectus, & ſacrilegos mores ſine infami cuiuſquam iniuria, & ſingulari nota (neminem enim nomino) generatim carpentes & vituperantes, ad te mitto. Rogo te compater cariſsime, vt Momum candidum à Momo nigro (multi enim nos licet immerentiſsimò, ore prorſus canino quotidie carpunt, rodunt, vellicant, lacerant) pro parte virili defendas, & patrocinio tuo, quo ſoles inſontibus, & innocentibus ſæpenumerò adeſſe & prodeſſe, laborem hunc noſtrum Lucilianum ab iniuria vitilitigatorum noſtrorum, hominum fœdiſſimorum & turpiſsimorum, tutum præſtes; quod etiam ſi non rogarem, per te facturus eras: noui enim tuum in me amorem, noui ſtudium, noui voluntatem, quæ eſt ſumma. Cur igitur rogas? quia nil nocet admiſſo ſubdere calcar equo, & ſponte currentem incitare licet. Vale vir clariſsime animo meo cariſsime, & patrem tuum tibi cognominem, ſummum

philoſophum, ſummum oratorem, ſummum poëtam, & in omni virtute principem virum mihi, cùm tibi commodum erit, perhonorificè ſaluta. Audomaropoli 14. Iunij anno 1602. Heri (vt aliquid tibi noui ſcribam) vxor poſt quatuor filios Iacobum, Franciſcum, Antonium, Petrum, peperit tandem nobis filiam nomine Mariam multis votis ſæpiſſime optatam. Iterum bene vale amicorum amiciſsime.

SIMONIS

SIMONIS OGERII
AVDOMAROPOLITÆ

MOMVS I.

O Scelus, ô Cilicas, ô ſecula dedita
fraudi!
Cauſidici cauſas dicant, cur per-
ſtet Enyo,
Et premat aſſiduis Dryades Saledruidas
armis:
Nec Phobus Aduaticis properet diſcedere
regnis,
Sed cum patre truci truculento pectore pergat
Sternere cæde viros, & mœnia cingere flãmis,
Ac vaſtare ſolum, quo non ſpecioſius vllum,
Vberiuſue videt Phaëthon Hyperione natus,
Cùm ſpargit radios in terras frugiferentes,
E curru rutila Smaragdorum luce coruſco.
Preſſa voce tacent; dicam tamen auſpice vero.
Sacrilegæ lites, cunctorum cauſa malorum,
Impediunt pacem, ne Scaldica regna reuiſat,
Et ferus Iſmarias redeat Brotolœgus ad
vndas.

Ocy-

Ocypetæ violãt Themides, violantq́ Lycurgos,
Exagitántq; Dicen, foribúsque forẽſibus actã
Turpiter eijciunt: éiecta reuertitur illa
Ad Superos axes: ibi toto nubila vultu
Cum patre ſidereo queritur de gente nefanda,
Vimqúe ſibi factam docet acri pectore virgo,
Et laceras veſtes oſtendit, & ora cruenta;
Vindictámque petit trutina Rhadamantide dignam.
Tũc pater omnipotẽs, rerũ cui ſumma poteſtas,
Indulgens precibus natæ, iuſtiſqúe querelis,
Si careant Taochi Tarache, furialia bella
Concitat in populum ſpretorem numinis æqui:
At ſi Chirodicæ bello tententur acerbo,
Tunc pater Eudiciæ comitatũ febre proterua,
Atque fame rabida cædes cladéſque Gradiuũ
Continuare iubet: nec abire Cacurgide terra,
Dum Themin incipiant reuereri pectore iuſto
Lucripetæ gentes, Strophadum ſcelerata propago:
Quæ nihil in terris, nihil exitialius vndis
Eſſe fatetur atrox Enoſichthõ, almáque Deo,
Turrigeram nitida frontem redimita corona.
O gẽtem Barathro dignã, dignámq; Melathro
Gorgonidos Furiæ piceo recubantis in antro,
Terrẽtiſque nigrum Stygijs latratibus orbem,
Vexantiſque truces animas, manésq; nefãdos,
Demoboróque ferũ ſaturantis ſanguine ventrẽ

Per ſpecus vmbriferum, rapidi Phlegethontis ad vndam,
Torquentem diras tetro cum ſulfure flammas,
Torrētéq; malos Themidis Parnaſſidos hoſtes,
Exultante choro, cui ſunt pia carmina cordi,
Pompiliijqúe lares Clario cum vertice curæ,
Gratáque iuſtifici Labeonis Enæſima Tempe.

Momvs 2.

NAuplia largifluis humectat fletibus ora,
Purpureos laniata ſinus, laniata capillos,
Ac alto grauium pelago ſummerſa malorum,
In quod eam vana coniecit voce magiſter
Ille tuus Stygiæ Delometes ſanguis Echidnæ.
Cuius conſilijs rigido mucrone perempti
Tot cecidere viri, ſaturantes arua cruore
Latifluo, flentéſque rubras Phlegethontis ad vndas.
Vt verò triſti patriæ ſua gaudia reddas,
Et nitidos vultus, & priſcæ tempora vitæ,
Nunc vbi belligeris fulgens exercitus armis
O perſonatæ Patriphon pietatis imago?
Vires excepit morbus, fracturáque neruos,
Deſtituitqúe tuos latices argentea Naïs,
Atque metalliferæ ſpoliaris honore crumenæ,
Vt mox ſtirpe tua ſpoliabere numine recto
Magni Iuſtitiæ patris, cui diſplicet atrum
Pectus,

Pectus, & improbitas, & mens obnoxia culpæ.

Momvs 3.

QVæ tibi Golgiade mens eſt cytherea per arua?
Ipſe foues vetulæ pectus, rugáſque Rianæ,
Atque lupam Paphio genitã ſub vertice paſcis,
Et perſers largos ſumptus, turbámq; procorũ.
Quæ res probra tibi generat, famámque ſiniſtram,
Et paſſim ſpargit riſus, dulcéſque cachinnos,
Quos currucali patitur diademate preſſus
Effrontem frontem, Stygia caligine dignam.

Momvs 4.

TOrlaquide non rex, ſed teter, & acer amator,
Ambigua, fluxáque fide, veterator inanis:
Ecquid Saxa ferus latro cum milite diro,
Colluuiéque ſua Stygij Phlegethontis alumna,
Egit in AEmoniæ campis, quos vbere gleba
Diligit alma Ceres? vaccas ſceleratus abegit,
Auertitq; graui fruges, & pabula plauſtro,
Tormentiſque ſacras turres deiecit, & ædes
Extructas Superis, à te laudatus ob iſthæc
Porſena ſacrilegus, quem noſter Scæuola ridet,
Vt leporum ſobolem pauidam, capreámque fuga-

fugacem,
Ignaram pugnæ, quam bellica turba laceſſit.
Sed mox ecce tuam laudem vindicta ſecuta.
Cæleſtis captam ſine ſanguine nuntiat vrbem
Marticolam, liquidis quam ſulcat Aremona lymphis,
Inſtructam rebus, quas turbida poſcit Enyo:
Deiecítq; truces animos, mentémq; ſuperbam,
Atque tuum gelido deuinxit frigore pectus,
Et Decijs prædas tribuit, Lydáſque crumenas,
Sceptráque cum ſolijs excelſa mente Camillis,
AEneadíſq; pios affecto Marte triumphos.

Momvs 5.

Audaci vultu mentiri, blanda profari,
Purpureis nitidos inducere veſtibus artus,
Vt fallas alios, ac in diſcrimina ducas:
Eſt hominis meriti rapidos Ixionis orbes.
Subſcribítque meis Sophie pulcerrima dictis,
Et pudor, atque fides albo circundata panno,
Simplicitáſq; pijs nunquàm nō grata Camœnis.

Momvs 6.

Cvm ſis Siphniadûm princeps, deſertor honeſti,
Temporis exigui ſatrapes, ſine milite ductor,
Impia ſacrilegi referēs monumēta Procruſtæ:

Qua-

Quæſitórque ferus Minos tua facta rependat,
Ac animam Stygiæ ſceleratam deſtinet aræ,
Iámque ſatellitio circumueniaris Auerno,
Inijciátque tibi manicas furialis Erichtho,
Gorgoneíque canis rabies tua colla laceſſat:
Deſine Neligenûmper agros crepitare trophæa,
Tantaleóque modo nitidis inhiare tiaris,
Et votis exclude tuis Lycoſuria regna,
Et reditus,& opes, opulentáque dona Midai,
Quo nil aridius Phaëthontius aſpicit AEthō:
Nec quicquam ſpera niſi luctus, atque dolores,
Et turpem nodum, qui fauces ſtringat auaras.

MOMVS 7.

S*Omapion Agathochrònides, Panigonis alumnus,*
Mammeluæ cōiunx, Epicuri de grege porcus,
Per Superos omnes iurat ſe corpore macro.
Eſt huic credendum? minimè, niſi credere ſumma
Credulitate velis, Hyperiona luce carere,
Fluctibus Occanum, folijs viridantibus Hylē,
Vertumnum pomis, Lenéum dulcibus vuis,
Mercuriū verbis, rigido mucrone Gradiuū,
Vulcanum flammis, Plutū locuplete crumena,
Egregia Venerem forma, canibus Dictynnam,
Tulipanis Floram, Cereali mergite Deo,
Cecropiam Sain oleo, pauonibus Heram,

Et

Et Rhoeis Phlegethontis heră, Cyanopida Raijs.
O ſordes hominis, hominem diademate dignū,
Quo redimit crines Apuleius pectore bardo,
Horrida progenies lentè gradientis aſelli,
Nata ſub Arcadiæ ſpecubus, prope flumē Anoeæ,
Indignante pia Daphne cum Maiade dia,
Et Maiæ nato cum Phœbigena Sileno,
Et Satyris, quibus eſt ſapiēs Polyhymnia curæ,
Fingit ſe tenuem Barathro Balatrone creatus
Haud procul à Scheria, Sybaritigenáque Cucagna,
Diſsimulans adipem, ne det ſua præmia vati,
Et pretium Clariæ meritum ſudore Camœnæ,
Et fidium ſtrepitu, quo deliniantur Hyænæ,
Et Tigres, atque lupæ, rabidóq; furore Leænæ.
Atque dari mallet ſibi lurco ventre voraci
Gallos exectis præpingues teſtibus, almæ
Delicias matris Sagaritica regna colentis,
Vel turdos, vel aues Meleagridas ore rubēti,
Aut volucres Tali, quem Dædalus egit ab arce
Mopſopia, lapſum mentitus culmine ſacro.
Aut coturnices, Cythereïadaſq; columbas,
Pauonésque ſua portantes ſidera cauda,
Aut vnum leporem, quàm vatum mille lepóres.
Hæc eſt inſipidi præſens ſapientia ſecli,
Digna cholo Meletes, & Iambi cuſpide ſæua,

Archilocíque lyra, ſalibúsque Bionis acerbi,
Atque Theonini dentis ſeptemplice morſu.

MOMVS 8.

SEmiuiri Parides, ac molles Sardanapali,
Hirci Cyprigenæ meretricis ſemine creti,
Vósque Ciniflones, eneruatíque Gnathones,
Sartorésque doli, Ganelonia turba, Sinones,
An non aduerſum rigido cum Marte videtis
Eſſe polum vobis, tam crebro fulmine tactis,
Cæſis, afflictis, proſtratis corpore toto,
Ac ignominiam referentibus, atque repulſam
Omnibus in rebus, quas ſorte mouetis iniqua?
An non Aoniæ rector, pietatis amator,
Acer vt Alcides, attractum nare Liurum,
Quò vult, victor agit Superis plaudentibus Vrum,
Et frãgit laqueos, quos tendit callidus auceps?
Qui melius rebúsque ſuis, ſceptríſque paternis
Conſuluiſſet homo ſtolidus, ſi gente prophana
Neglecta, veræ templum rationis adiſſet.
Non ita Fortunæ telis ageretur acerbis,
Nec miſer Ogygia gemeret ditione teneri
Deruiſias vrbes, Solymaniacósque Penates,
Et Baſilopedium Meliſæo fonte rigatum,
Emiriósque ſinus, & cum ſtatione Ramellam
Teumopia, nec Auernigenæ canis inſtar auaris
Faucibus ereptum lamentaretur Omaſum,
Inqúe

inq; Pelethronias fugeret, ceu Damula, ſyluas.

MOMVS 9.

CVm tibi Bibiloë videas per Aleïa regna
Dulcis Fortunæ Zephyros cecidiſſe ſecundos,
Et res attritas, amiſſo faſce ſuperbo,
Quo te vane Thraſo Superûm ſuper aſtra ferebas:
Atque tibi reditus ad priſcos claudat honores
Impietas, & ſegnities, & dextera Drancis
AEmula: ſubſidio thalamos tibi quæris, et optas
Cliniadem, quam fœdus Hymen promittit amanti,
Regalis lamiæ petulanti ſplene ſororem,
Conſilio vafræ gentis, ſuaſúque Thearno,
Vnde tibi merito cladem vindicta laceſſet,
Ac animã Stygias opulẽtam mittet ad vndas.
Maximus es nebulo, paraſitorúmque magiſter,
Inter Currucas qui non verearis haberi,
Ob nitidos menſæ luxus, & vile lucellum,
Nec cures ſummum ſumma cum labe pudorẽ.
Veridicas audi voces: hoc gurgite lapſo
Crux tibi lectus erit, carcer domus, eſca venenum.
Semper enim gelidum luſit Cytheréa maritũ,
Imperiiſque feræ meretricis inertia ſeruit.

MOMVS IO.

QVi ſe vafritia fratrem putat eſſe Sinonis,
Fallitur interdum miſerè, ſtoliduſq; vocatur.
Quíque ſibi ſperat Bellonæ ſigna ſecundæ,
Et ſtruit inſidias cæca regione locatas,
Sternitur, & pœnas luit acres victus ab hoſte.
Et qui Dædaleas humeris accommodat alas
Dia petiturus ſublimi regna volatu,
Frōte ferit terram, vel gurgite mergitur alto.
Hæc ego præcinui, quia te turpiſsime regum,
Spe lapſum video, qua ſomnia vana fouebas,
Armatámque truci rabie, iaculíſquę cruentis
Perfregiſſe dolos, inimicáque retia Tigrim,
Aggeribúſq; tuis, pinníſque minacibus vngues.
Affixiſſe feros, magnámque dediſſe ruinam.
Quid grauidā bellis, animoſaq; corda gerentē
Perſequeris furioſe feram, tibi certa parantem
Fata, niſi fugias, inamœnáque teſqua relinquas?
Siſyphium voluis ſaxum, fruſtráque laboras,
Et piceas ſequeris volucres, indutus ahenum
Thoracem, ſeu ſol, ſeu nox percurrat Olympū.
Quid ceſſas? vitam præſentibus eripe fatis.
Te ratio fugit, atque vigor, vegetúsque lacertus,
Nec Rutuli gladius Turni, loricáque magni

Darda-

Dardanidæ, iaculúmque Iouis, clypeúſque Mineruæ,
Ac tercenteni lato cum flumine valli
Ignaui capitis poſſunt componere mentem,
Protectúque ſatis valido defendere gentem,
Nil niſi delicias, Erycináque ſacra crepantem.

MOMVS II.

EVigenam ſtolidum, Satyráque Bionide dignum,
Et ſannas ſannis dignas, ludóque iocanti
Perſiadum, Clariæqúe Deæ, Pariæq; Mineruæ!
Romeriden verò quia rides plectra mouentem
Ad vada Gargaphies, & amœna vireta Solonis,
Iuxta melliferos montes, & Agenoris antrū,
Quod probat, atque fouet præ cunctis pulcer Apollo:
Quid tibi fiet Achor, cùm te Libitina vocabit,
Et petet Eurynomus tua corpora dente cruento?
Cenſus amittes, nullo memoraberis æuo,
Et recta tendes ſub Auernæ flumina Lethes,
Perpetuúmque larem Stygia regione locabis,
Ignotus, veluti nunquam tellure fuiſſes,
Nec Phaëthontæi vidiſſes tela diei.
Me viuum norunt gentes, poſt funera noſcent,
Et Superûm rutila dominus dignabitur aula,

Ambroſióque toro, ſolióque nitente locabit,
Et procul à Lethe, lethóque, lutóque Charontis
Ad vada Mnemoſynes ſpatiabor pectore læto,
Et lepidos recinam verſus, & plectra mouebo
Dulcia, ſuauiſona ſemper comitante Thalia,
Atque fauente deo, qui cœli ſidera torquet,
Et magna nitidum cura moderatur Olympũ,
Lætitiæ dator, atq; ſator Polyhymnidos Audes.
Diligit æthereus genitor ſine labe poëtas,
Quamuis Tãtaleæ careant ſplendore crumenæ,
Et Lucullanæ nitido nidore culinæ;
Et fouet innocui niueos Heliconis olores
Ignaros Paphij cantus, & turpis Aoedes.
Ter fortunatos qui templa pudica frequentãt,
Atque pias celebrant Muſas, reſonántque Tonantem
Carmine virgineo, caſtæq; canore Camœnæ.
Sophroſynes domino placet Olen pectore caſto,
Et ſanctus vates ſua nectare labra rigabit,
Vt ſapiens Mariæ ſoboles promiſit Ieſus,
Et quod promiſit, ſine fuco fœdus habetur,
Eſtqúe ratum, ſequitúrque fidem, verúmque laceſſit.

MOMVS 12.

SAEua tuos caſſes fregit fera dente feroci,
Téque, tuóſque duces rabidam conuertit in iram,

Nobis

Nobis lætitiam peperit ridentibus arma
Hectoris egregij, cui Mauors ſemper iniquus.
Spondebas animo flauentes æris aceruos,
Omnigenis inhians opibus, quas Lydia fūdit,
Cuius legiferas Themides delere parabas,
Sed ſecus euenit, quàm tu ſcelerate putaſti.
Te multò melior Sebeon tua regna capeſſet,
Ipſe Palæpaphiæ regnum patiere puellæ,
Quæ te verſabit. ritu meretricis auaræ,
Atque tuas lacerabit opes, reditúsque Midæos,
Lautáque magnifici ducis inteſtina vorabit,
Miſcebitque gregi fatuo rationis egentem
Alta, ſuperba, procax, & luxu perdita Laïs.
Sed cùm pauperies veteres accedet ad annos,
Et te diuitijs ſpoliatum cernet auitis,
Et longa comitum pugna, tuniciſque ſuperbis,
Ac Lucullanæ grato nidore culinæ,
Nec gemmas, aurúmque ſua ſpectabit in arca,
Quo ſe ditatam regali more ferebat:
Tunc vultum demiſſa tuo maledicet amori,
Ac deridebit mulier teterrima tetris
Sordibus obductum, ceu nudi remigis artus.
Tunc tenui cultu, quali ſunt vela molarum,
Quas celeri motu verſat rapidiſsimus Auſter,
Cùm loculos vanis implebit aranea telis,
Et neq; te nummi, pretioſáque texta grauabūt:
Præcipiti poteris curſu volitare per arua,
Et ſuperare citos pedibus pernicibus Euros,

Finibus AEmathij procul, et Triopeïde Nym-
Tũc fũdes lõgas ex imo corde querelas, (pha,
Accipiétque tuos gaudenti pectore luctus
Atra per ãtra fremẽs rigidi Fera Martis alũna:
Quæ tibi præſagit breuis æui ſceptra tyranne,
Cuius ad vndiſonos latices moriare precamur,
Sacrilegámq; vomas animã cũ sãguine multo.
Seu manis Arabæ Dryadis deſerta per alta.
Morte tua votis optata mille redibunt
Cana fides, & pax, & Muſæ pacis alumnæ,
Inqúe polum ducẽs homines via recta teretur,
Dogmáque peſtiferũ tenues vaneſcet in auras,
Et Stygium virus iaculari deſinet Hydra,
Enutrita nigræ furioſo felle Cacurgæ, (auges.
Quam tegis, atq; foues, & amas, & honoribus
Harpyiæqúe graues populis, dextræqúe picatæ,
Et genius diſcors, & liuor cauſa malorum,
Tartareas repetent fauces, & regna Megæræ,
Et noua Theſſalicis orientur ſecula terris,
Qualia Saturno quondam regnante fuerunt,
Plébſque Pheræa polum ſublimi vertice tãget,
Altáque Tigranam tentabũt gaudia mentem,
Miráque Cimmerias ſpectabit Mecha lacunas,
Atq; ſuũ Stygijs Mahumetem cernet in antris.

MOMVS 13.

TV *dignus Satyra, dignus Iuuenalide ſanna*

Mar-

Martagoniſta, tui pudor, ac infamia ſecli.
Cimmeriæ nocti nitidum poſtponis Olympum,
Lethea morti vitam, famámque perennem,
Et rides doctos verſus, doctásque Camœnas,
Et caput Aoniæ decoratum virgine lauro,
Labráque Pieridum madefacta liquore Lycæo,
Et ſpernis cultos lepidis à vatibus hortos,
Atque lutum reputas roſeos Heliconis honores,
Et, quod miratur bona mens cum iudice ſano,
Floribus Aoniis præfers aconita ſeuera,
Et citharæ cannas, vt quondã Gordius heros,
Cui dedit auriculas aſini Pataræus Apollo,
Rex Tenedi, decus Aſteriæ, ſapientia Pindi,
Splẽdor Olympiacus, nitidi Phaëthõtis imago,
Arcitenens, citharoedus, amor pius Iõcheæra,
Laurigera genitus ſylua, Titanide nympha,
Exululante choro Dryopũ, Dryadũq; choréa,
Corycio motu natos teſtante gemellos,
Quorum cæliuagam decorat præſentia gẽtem.

MOMVS 14.

PArthenopipa vides damnis, & clade tuorũ,
Quàm ſit bellipotens, felixqúe Dicæus in armis,
Rex pius, & clypeus gentis pia bella gerentis,
Ac vindex hominũ quos vinclis, carcere, leto
Multaſti, ceu laureolos, Phlegyásque ſuperbos,
Spreto patre Dices, qui cælo fulmina mittit,

Nec ſinit Abdaricæ feritatis crimen inultum.
Nunc vbi ſunt equites, formidatiq; Dracones,
AEacidæqúe tui ? fluctus ac litora ſeruant,
Vulnificis manibus miſsi ſub Tartara Lethi,
Teſtis Naupactus, teſtes Acheloïdes vndæ,
Et faſtus, veluti fumus, conceſſit in auras.
Non bene propterea Superos, & ſidera carpis,
Nec rectè quereris, multum mutatus ab illo,
Qui modò tollebas oculos ſuper aſtra ſuperbos,
O ſcelus, ô hominum labes, ô regule, non rex,
Mollis Otho ſuperâs immitia facta Neronis,
Immanéſque manus Buſiridis æquore nati,
Ad ſcopulos rapidi vexatos flatibus Auſtri,
Non procul à Scylla, tumidæq; Charybdios ira.
Talia facta manent homines rationis inanes,
Ac ſe maiores armis, opibúsque petentes.
Nam citò viſit humum, qui tollit in æthera corpus,
Et cadit exiguo Boreas madefactus ab imbre,
Mutantúrque ſoni demiſſa voce minaces.
Non tu natus equo, nec fortibus vtilis armis,
Abijce fulmineo rutilantes lumine cetras,
Ac Apuleianos vrge calcaribus armos,
Vel lepidæ ſocius Miabellæ ſtamina torque.
Quíque manu trepida quatitur tibi perfidus enſis
In rigidum validi dentem conflettur aratri,
Vel ferrum taxis infeſtum, Cynthia verò

Cornua

Cornua iuſtificis manibus geſtanda relinque:
Atque valedicto Xilinis à rege ſubactis
Egregio vitam dumoſis redde ſub antris.
Buſtum debetur tibi denſis vepribus hirtum,
Non gemmis, auróque micans, nec quale per ædem
Diuo ſacratam Melibæo viuida virtus
Priſcorum regum meruit celebrata per orbem
Inachiæ chelyos ſtrepitu, fidibúſque Latinis.
Quippe ſuos recto duxerunt limite Tegas
Ignaros miti ſub ſceptro litis acerbæ,
Et grauis Ocypetæ, Roboamæique flagelli,
Et Mahumetigenæ fraudis, gemitúsque, metúsque,
Ac importuni Martis, mortísque cruentæ,
Quæ mala perpetuas clades te rege laceſſunt.
Sic tu laude carẽs per agros, & honore ſepulcri,
Inſidioſorum tumulandus more latronum,
Longa Bionæo debes ludibria vulgo.
Nam Deus iniuſtos homines, quos diligis, odit,
Et vitam merito ſceleratam funere donat.
Ter, quater eſt ſtolidus, qui non auſcultat olympo,
Sed grauidus vitijs Erebæo paret Auerno.

MOMVS 15.

NOn hæc ſuauidico Lucilius ore probaret
Crimina Tartarei cẽſura digna Berethri:

Nec

Nec Iuuenalis amans veri, Flaccúſque ſilerent
Abſque nota; nec enim tolerabilis error habetur.
Orphanicam vexas turbam Colineta miſelle,
Sanctos periuras Diuos, es turpis adulter,
Vt Mida perſequeris quauis ratione lucellum:
Deſpicis Eudiciam, laceras Parnaſſida gentẽ,
Atque tumes faſtu, quem non capit Hernica tellus,
Indulges genio ſumptus experte crumena
Inſtar Demobori, Pantarpazonte creati,
Exprimis Aſſyrias ira ſtimulante leænas;
Atque rubes veluti Meleagri turbida præpes,
Lathmiade ſomno glires, vrſósque laceſſis,
Cùm tibi Siſyphios peperit fallacia nummos,
Nec te ſub megarõ vehit Arches orbita recta,
Quod vel Demodoco patet, & Thamyreïdi Nymphæ.
Nèc ſperas memorem pœna Rhamnuſidis irã,
Et credis Superos ad dira piacula cæcos.
Erras Nepiacon princeps, ſate ſanguine moro.
Supplicium de te meritum ſine fine capeſſet
Orcus, & Orcigenæ rabies violenta Megæra,
Et coquet aſsiduis ſoboles Phlegethontia flammis.
Non ſinet eſſe Deus ſine pœna pectus iniquum.
Ecce tibi ſupra caput adſtat lurida Clotho,
Et fera Perſephone nigram denuntiat horam,

Et

Et dulcis vitæ ſpoliatum lumine claro
Mæroloë coget radiatas linquere terras,
Et denſum tenebris Erebæum viſere mundũ,
Mors vbi perpetuas legit ſibi pallida ſedes,
Et iàm iàm Stygiæ patieris iura Meduſæ:
Quandoquidem nũquàm ſubiturũ fata putaſti
Pectus Alopecij cumulatum fraude Sinonis.
Fata manent omnes: omnes expectat auarus
Portitor, vmbripotens Stygiarum rector aquarum:
Et calcanda ſemel rigidi via liuida leti.
Ancus Marciades lumen ſolare reliquit,
Scipiades Libyæ clades dedit oſſa pheretro,
Magnus Alexander tellure reconditur alta,
Et Xerxes animam moribundo corpore fudit,
Mæonides etiam fato ſopitur acerbo,
Et tibi ſacrilego mors parceret improbe Colna?

MOMVS 16.

MVſaqúe vocis inops ſileat Lanophili nefande?*
Lauriger um laceras Heliconem voce profana,
Ac ſpernis populum Parnaſſia templa colẽtem,
Et flores hominum diuina mente poëtas
Eſſe putas ſtolidos, & ſanæ mentis egentes,
Et nullo ponis numero pia pectora vatum.
Quin cum gente pia cæleſtia numina temnis,

Et dominam Superûm genitricem mitis Ieſu,
Calliopen veram, caſtiſsima corda fouentem,
Reijcis, atque doles laudatam carmine docto.
Simia purpureos habitus habet improbe Cercops,
Ac in nare ſuis fulget teres annulus auro,
Et Bromium nulla ratione laceſsit Hylactor.
Romulides prohibet: neſcit tamen omnia ſummus
Sublicij pontis fabricator pectore ſancto.
Si ſciret, faciem Mida ferret turpis aſelli,
Nec tantos cenſus tanto cumularet aceruo
Tantalus in nullos Aedes Aganippidos vſus.
O miſeram ſortem ſtudiorum, duráque fata
Aonidon, ita Pieridas à cimice temni!
Negligit Aonios Agnoeæ natus olores,
Atque leis ſimiles tollit, nutrítque Lyciſcas,
Quas agit in pueros Muſarum Barbaroſocnus.
Sed pœnas luet Antiphates, Themis odit aſellos
Aphroſyne genitos: iàm iàm fœdiſsime rerum
Quod cumulas arcis Mauors ferus auferet aurum,
Diripiétque tuas ædes Thraſo ſemper auarus,
Tectáque Doſontis Vulcani flamma vorabit,
Atque vicem ſobolis Patareæ mucro cruentus
Vlciſcetur: amat Cirrham Iunonia proles,
Et Mars Muſagetes Helicomia tẽpla frequẽtat,
Et

Et ſua facta cani numeroſis vocibus optat,
Et ſe Pierio celebrari carmine gaudet,
Propterea ſtultus, qui lædere Pegaſon audet,
Pegaſidáſque Deas non autumat eſſe colendas.

Momvs 17.

MAgnanimæ gẽtis capto virtute Pilorno,
Progenies Martis fera factis inclyta gaudet,
Nemoliúmqne dolet, lacrymáſque Fedonia mittit,
Et Tremotella tremit, tremit Elia proxima cladi,
Atque Marinopolis longis ferit aſtra querelis,
Continuíſque ferũ quatitur ſingultibus Ermũ:
Túque Seliſomene pugnis tua pectora fœdas.
Hic licet adſpicias Martem tibi damna ferẽtẽ,
Hæc patienda tibi: nunquã tibi bella fauebũt.
Si mihi credideris, Claria regione faceſſes,
Et conclamatis vaſis tua regna capeſſes,
Subijciẽs in equum celerem ſine pectore corpus.
Sed dum tecta petis pendentia rupe Tomaſca,
Ne te magnificè tractet cum lemore fœdo,
Quiſquilijſq; tuis Agathoſtratiota caueto.
Non eſt ignauus, nec inerti Marte laborat,
Inſequitur, recipit prædam, fundítq; latronẽ,
Et cæſim, punctímque ferit, linóque niuali
Tectus ad inſidias properat de nocte locandas,

Tor-

Tormentíſque ſuis ingentia mœnia quaßat,
Vrbes expugnat, felicia prælia miſcet,
Vt ſcit Alemiacum, Calabroniadumq́; tyrãnus,
Et quæ Lironias Naïs ſuſpirat ad vndas.
Huic ſunt Siſyphij reditus, opulentáque regna.
Eſt alacer, acérque, vigil, ac mente ſagaci,
Atque manu prõptus, velox extinguere faſtũ,
Vaniloquaſq́; minas, et amaræ verbera linguæ.
Exitio triſti multat, mutatqúe Penates
Magnificos antris, agit, angit, & implicat hoſtem
Luctibus & curis culpantem numina Diuûm,
Infauſtúmque diẽ, quo primùm lumina vidit,
Et trepidas acies, & acerbæ funera pugnæ.
Quare mẽtis inops truculentã deſere Tigrim,
Horribilémque feram nemoroſa valle frementem,
Atque time validos ictus, quibus ira Sophéi
Horrida contundit portenta, domatqúe tyrannos
Numinis immemores, niſi mauis ire ſub Orcũ,
Ac ibi ſacrilego finem præſcribere regno,
Morte tua recreans cælum, terramqúe, fretúmque.
Quæ cano nota tibi, verbum non amplius addam.

SOLOR OLOR.

SIMONIS OGERII AVDOMAROPOLITÆ. I. V. DOCTORIS

Nicolaus,

Siue oratio habita in honorem beati Nicolai, ab Alexandro Ianutio adoleſcente nobili, in opido & arce Leniacenſi, quæ eſt ad Atheſim flumen amœniſsimum ſita, omnium, quæ in Italia conſpiciuntur, arcium muniiſsima, ac validiſsima:

Ad ornatiſsimum virum Carolum Bloſium, in territorio Audomarenſi Quæſtorem regium, ſtirpe, ingenio, gratia, induſtria, fide & iuſtitia, ac probitate, & integritate vitę inſignem & illuſtrem.

ORNATISSIMO VIRO CAROLO BLOSIO IN TERRITORIO AVDOMARENSI QVAESTORI REGIO, GENERE NOBILI, ILLVSTRI ingenio, ac fide egregia, & eximia probitate prædito SIMON OGERIVS S. P. D.

IVVAT meminiſſe beati temporis, ô Carole, quo ego in Italia cũ Muſis ſuauiſſimè ac iucundiſſimè degens, ignarus curę, neſcius belli,& bellicarum calamitatũ, abundans otio, vt alter Tityrus ſub patulo tegmine fagi, feliciſſimus eram. Ambulabam ad Atheſim amœniſſimum omnium flumen; verſus Homericos, & Virgilianos, & aliorum poëtarum elegantiſſimorum tàm Gręcorum, quàm Latinorum, addo etiam Italorum, ſuauiſsima & hilariſsima voce, cùm vellem, cantillabam; nulla tuba, nullus li-

tuus

tuus metum faciebat, nec tremor ex Mauortio tumultu, & bellica trepidatione & tormentorum horrendiſsimorrum tonatione, & fulminatione artus occupabat, nec faciem pallor obſidebat, nec cura pectus ſollicitum edebat, nec animum peſsima omnium Erinnys Bellona anxium voce ſua verè furiali perturbabat, & cor ad ſuſpiria, oculos ad fletũ prouocabat. Tunc temporis res erat mihi cum cithara & teſtudine, & illa fecundiſsima mihi & sereniſsima tempeſtate multa tàm verſu, quàm proſa ſunt libentiſsimo corde compoſita. carmina extant ferè omnia prælo & luci mandata, & commendata. proſæ maxima pars deperijt. Quapropter cùm ſcripta mea nuper reuoluerẽ, & ex capſula & tenebris in lucem æthereã ea proferre vellẽ, & incidiſſem in orationem habitã Leniaci (Legnago vulgari Italorum lingua vocatur) non fuit animus eam ſupprimere; ne muribus peſsimis omnium animalculis, vt multa alia mea ludibrio eſſet, cùm aliqua ex parte eorum dentes & petulantiam Muſis inuiſam & odioſam ſenſiſſet. Deſcripſi ilicò, & ad typographum miſi; & eam tibi ob tuum in me ſingularẽ ſtudium dedicaui, dedicatamque orõ, quam-

uis ſit perexiguum ea donum, pro tuo candore, & humanitate eximia, mihi multis rebus perſpecta, boni conſulas. Scio tibi gratam fore, non tàm quia ab amica manu proficiſcatur, quàm quòd ea beati Nicolai, cuius es ſtudioſiſſimus, laudes contineat. Rogabis fortaſſe, quo tempore ſit compoſita, & cuius rogatu, & à quo recitata. Dixi habitam eſſe Leniaci (quod opidum nonnulli Ligniacum vocant) & dixi habitam ab Alexandro Ianutio adoleſcente domi nobiliſſimo: Annus tunc erat, quo eſt recitata, 1577. cùm inuitatus eſſem ad eius compoſitionem à Iacobo Muzolo patritio Bononienſi, & I. C. clariſſimo, qui tunc erat Archipresbyter, & antiſtes templi Sancti Martini Leniacenſis, longè opulentiſſimi & luculentiſſimi. Stylum accommodaui captui puerili, ne hîc vos, qui Terentij, Cæſaris, & Ciceronis ſcriptorum terſiſſimorum & nitidiſſimorum elegantiam admiramini, ſi quid parùm cultum & politum occurrat, vitio vertatis, & Ogerianum deſideretis cum lepore & ſplendore iudicium. Tanquam igitur à puero habita, vt verè à puero eſt habita, hæc

oro

oro oratiũcula legatur. Id ego à vobis peto,& ęquum eſt,vt impetrem,& ſpem impetrationis facit mihi veſtra humanitas,& æquanimitas. Vale Carole vir optime & integerrime, & quod mihi eſt longè gratiſſimũ,compater cariſſime. Nã tu nuper rogatus à me, vt filiolam 13. huius menſis die, hora ſexta matutina nobis natam, è fonte ſacro, qui mos eſt Chriſtianorum, ſuſciperes,non grauatè id officij, vnà cum Maria Vaſſeura, Gerardi Aubronij I.C. clariſſimi vxore lectiſſima & pręſtantiſſima pollicitus, præſtitiſti. Tales ait Plato eſſe ciues,qualis eſt vrbis gubernator, & *Regis ad exemplum totus componitur orbis*,vt cecinit optimus poëta. Ita plerunque vſu venire videmus,vt pueri mores & vitam ſuorum ſequantur ſponſorum, & ſuſceptorum,præſertim,ſi vtroque ſint orbi parente, quod nonnunquàm accidit. Quare magni refert quo ſint ingenio, quo ſint animo, quibus ſint moribus præditi ſuſceptores puerorum, qui quaſi cuſtodes, & tutores, atque magiſtri puerilis ætatis ſunt futuri, pręcipuè verò, ſi paruulis illis è vita parentes excedant, quibus etiam viuis, nihil prætermittere, aut diſſimulare debeant, ſi à parentibus

 in officio

in officio ceſſetur. Quamobrem ſummopere lætôr, & magno mihi animus expletur gaudio, cùm cogito vos tales eſſe, vt nemo quantumuis inuidus in vobis prudentiam, pietatem, religionem, fidem, iuſtitiam, temperantiam, & totum illum amabilium virtutum chorum, præclarasque animi dotes requirat. Nam ſi quid mihi humanitus accidat, & ſi vxor manes mariti, vt mariti eſt amantiſsima, præ ægritudine animi, quod abominor, ilicò ſequeretur, eſt quod animum ſoletur, liberos noſtros non omnino deſertos etiam defunctis parentibus, qui vicem parẽtum expleant, inuenturos. Venit autem Maria noſtra in dias luminis oras, vt ita cum Lucretio loquar, cùm procelloſiſsimis bellorum tumultibus agitatur Belgium. Deus faxit, vt cum pace educi poſsit, & concordia breui ad nos redeat, & optimos & potentiſsimos principes noſtros Albertum & Iſabellam Auguſta Auſtriorum domo natos perpetua felicitas in bello, & omnibus, quas animo pio & religioſo ſuſcipiũt, rebus, conſequatur.

O ita Chriſte velis, ita vos pia numina Diuûm,
Qui nitidas ſedes, ſtellataq; templa tenetis
Arcis Olympiacæ.

Suſcri-

Subſcribis, non dubito, compater optime, & religioſe voto tui Simonis. Iterum bene, & bellè vale vir Neſtorea vita ob pietatẽ, & virtutem dignißime. Audomaropoli, 22. Iunij, 1602.

Faire & taire, C. DE BLOIS.

SIMONIS OGERII

AVDOMAROPOLITÆ

Nicolaus.

VEtvs ſcholæ noſtræ inſtitutum poſtulat, Auditores humaniſſimi, vt feſtum beati Nicolai oratiúcula aliqua decoremus. Igitur, vt laudatiſſimæ conſuetudini morem geram, eorumque obſequar voluntati, quibus refragari nec poſſum, nec debeo, hûc ipſe me contuli, vt nonnulla hoc in loco de viri ſanctiſſimi laudibus ediſſeram. Negotium ſanè durum, & difficilis prouincia. Ciceronem enim ipſum, non me tanti Præſulis laudes expoſtulant: quas profectò qui numerare inſtituit, idem & maris vndas, & ſyluarum frondes, & cœli ſidera, &, ſi quid aliud magis infinitum eſt, numerare inſtituit. Satius etiam ſem-

per eſſe exiſtimaui Heroum laudes tacere, quàm eas malè narrando dedecorare. Inuito igitur ac reluctāti animo, Auditores, in hanc arenam deſcendi, mearum nempe mihi conſcius virium: ſed ijs mihi obtemperandum fuit, qui me & ætate, & autoritate ſuperant, à quibus etiam totus pendeo: maluique temeritatis (ſi temeritas dicenda eſt, ſuis in re pulcerrima obtemperare) quàm inobedientiæ, quo nullum tetrius vitium, notam incurrere. Vos igitur, Auditores, per ſolitum illum veſtrū candorem oro, atque obteſtor, vt me patienter dicentem audiatis: & ſi quid minus ornatè, minus aptè, & eleganter dixero, id rogo omne mihi vt ignoſcatis. Beatum etiam Nicolaum mecum vnà quæſo obſecrate, vt & mihi ſpiritum Chriſti impetret, & ea me proloqui ſinat, quæ & huic diei, & huic loco, & pręſentiæ veſtræ maximè erunt conuenientia. Feſtum igitur Nicolai, Auditores humaniſſimi, hodie celebrat Eccleſia. Sed ab re fortaſſe non erit quærere cur ſingulariter à ſtudioſis literarum colatur beatus Nicolaus. Studioſiſsimus fuit, dum viueret, & ſtudioſos iuuenes ſemper amauit. Hanc ob cauſam

à ſtudioſis iuuenibus præcipuè inuocatur. Antiqui illi Ethnici Apollinem Pataræum colebant, ſtudiorumque, & ſapientię Deum exiſtimabant. Stultè nimirum, & ſuperſtitiosè. Nam ſi vnquàm fuit Apollo, vir malus, & ſceleratus fuit: ideoque rectè à Chriſtianis exploditur, & odio habetur, in eiusque locum ſubſtitutus eſt Nicolaus vir bonus, & cœleſtium regi gratiſsimus, ex eademque vrbe, qua Apollo, oriundus: vterque enim Pataræus fuit. Et hęc cauſa eſt Auditores cur impenſius à nobis colatur Nicolaus. Is enim ſtudiorum præſes, & patronus eſt ſingularis. Pataræum igitur Nicolaum hodie celebremus, & qua dignus eſt veneratione decoremus. Sed quomodo bene à nobis coletur? Nullum gratiorem Diuis cultum pręſtare potes, quàm ſi eorum imiteris ſanctimoniam. Vis bene colere diuam virginē? Illius imitare modeſtiā. Vis gratus eſſe Petro? Illius fidē ſequere. Stephanum, Laurentium, Sebaſtianum, ceterosque Chriſti martyres diligis, & vis honorare? Ardorem fidei, & animum martyrio paratum indue, & quiduis pro Chriſti nomine libenter tolera. Barbaram, Catharinam, Agnetem,

&

& alias omnes virgines venerari, vt decet, optas? Caſtus ſis,& pudicitiam amplectere. Nicolaum etiam, ceteroſque Confeſſores omnes, & Epiſcopos, totamque cœleſtium aulam amas, ac eorum cultu flagras? Eorum ſimilis eſſe enitere,& qua via ambulauerunt illi, etiam ambula, ſerua mandata Dei, nihil hoc illis gratius facere potes. Si templum nobile & ſumptuoſum memoriæ Nicolai extruis, ſi illius aram auro gemmiſque exornas, bene facis (quis enim hoc neget?) & eris illi gratus: ſed longè gratior eris, ſi illius vitam, & virtutes, quibus claruit, imitere. Hoc enim eſt ſanctum Nicolaum honorare. In illius igitur vitam Auditores tanquam in ſpeculum lucidiſſimum inſpiciamus. Ibi enim & vitia noſtra,& quid nos deceat, & quid non, facilè videbimus. Sed quomodo vixit Nicolaus? Egregiè ſanè, & irrepræhenſibiliter. Nil dicam de nobilitate, & parentibus, qui illi illuſtres & opulenti contigere. nam diuitiæ, cenſus, nobilitas, maiorum tituli, pulchritudo, & omnia tum corporis, tum fortunæ bona in laude non ſunt ponenda. poſſunt enim ea vel ſceleratiſſimo cuique contingere. *Et genus, & proauos, & quæ*

non fecimus ipſi, Vix ea noſtra voco, vt bene., & eleganter ait Vlyſſes apud Ouidium. Et hoc idem etiam prudentiſſimus ſentit Nicolaus. Alius igitur Codrum à nobilitate, Crœſum à cenſu, Phaonem à forma, Herculem à robore, Achillem à celeritate laudet: nos Nicolaum à pietate, à continentia, & virtutibus, quæ propria ſunt hominis bona, collaudemus. Hinc laudari ſolùm meretur homo. Ingentes ſunt viri virtutes, & in virtute tótus vixit Nicolaus. Conſideremus ipſius incunabula. Adhuc infans, & ab vbere matris dependens in hebdomada bis ieiunare ſolebat, quarta ſcilicet & ſexta feria. Illis enim diebus ſemel duntaxat, idque veſperi, mammam nutricis appetebat. Nos igitur ad ieiunia infans Nicolaus exhortatur. Turpe erit nos non poſſe, quod potuit infans. Libenter igitur ieiunemus, animumque noſtrum nimia luxuria diffluentem retundamus. Ieiunium & corpori & animæ ſaluberrimum eſt, & deo gratiſſimum. Sic ſe infans, & tenellus geſſit Nicolaus: nunc quomodo ſe grandior geſſerit videamus. Adoleſcens,
cùm

cùm iàm vtroq́ue parente orbatus eſſet, ditiſſimam conſecutus hæreditatem, non eam ad luxuriam conuertit, nec in voluptates effudit, ſed in egentem turbam, & pauperes Chriſto gratiſsimos diſtribuit, miſericordiæ nos & munificentiæ admonens: Beati enim miſericordes. Continentiam verò illius, & pudicitiam quis dignè enarret? Vobis non eſt incognita hiſtoria, quo modo vicini ſui, viri nobiliſſimi quidem, ſed pauperis filias iàm nubiles matrimonio collocauerit, ſua munificentia illas à manifeſtiſsima proſtitutione eripiens. Taceat igitur ſuos Hippolytos & Spurinas gentilitas. Nulla horum pudicitia cum Nicolai pudicitia conferenda eſt. Illi enim ſolùm caſti fuere, de aliorum pudicitia nihil curauere. Hic non ſolùm caſtus fuit, ſed vt & alij caſti eſſent ſummopere laborauit. Quid nunc illius amorem in Deum referam? Deum noctе dieq́ue in corde ſuo gerebat, de Deo vigilans, de Deo dormiens cogitabat, mandata ipſius toto corde amplectebatur, ne minimum quidem apicem illorum prætermittebat, opera miſericordiæ & corpore &

re & animo diligenter exequebatur, aſſiduus in obſecratione erat, ſemper in templo conſpiciebatur, loca ſacra libenter frequentabat, & peregrinationibus longiſſimis etiam & difficillimis indulgebat, comis in exteros, & hoſpitalis, & omnibus obuius, & affabilis ſemper fuit, nunquàm viduis, nunquàm orphanis deerat, omnibus cõſiliũ ſuũ, omnibus facultates ſuas alacri animo, & lubenti corde impertiebatur, nec cuiquam dextrã fide, & iuſtitia, & benignitate, ac liberalitate præſtantem non cupidiſſimè petenti ac imploranti porrexit. Præcipuè ſacræ lectioni, & ſtudio literarum incubuit, illudque Plinianum ſemper in ore habebat: *Omne perire tempus, quod ſtudijs non impertitur.* Studendum eſt, ſodales amabiliſſimi, dum genua virent. Ad omnem diſciplinam tardior eſt ſenectus, &, vt habet prouerbium, difficile eſt canem vetulum loris aſſuefacere. Semper ſtudebat Nicolaus, & nos hodie vt ſtudeamus admonet. Excutiendus eſt iſte veternus, eijcienda pigritia, & procul amandanda improba Siren Deſidia. Literas forti animo capeſſamus, & tanti viri veſtigijs inſiſtamus, honeſtiſſimarum artium ſtudia cum pietate coniun-

coniungentes. Sic enim honores maximos conſequemur, vt & ipſe conſecutus eſt. Nihil enim aliud illum ad Epiſcopatus apicem extulit, quàm doctrina, ſingulari vitæ ſanctimonia coniuncta, quæ celari non poterat: *Quis enim celauerit ignem, Lumine qui ſemper proditur ipſe ſuo?* Nam cùm Myrenſes de Præſule nouo creando valdè ſolliciti eſſent, diuinitus moniti sūt, vt eum in Epiſcopum aſſumerent, qui primus omnium in templum manè ingrederetur Nicolaus nomine. Is autem fuit noſter iſte Nicolaus. Nihil igitur tale cogitans, neque ambiens compræhenſus eſt, & obtorto, quod aiunt, collo ad Epiſcopi mitram pertractus, lætis omnibus, qui illius eruditionem & pietatem probè nouerant, & ad illum anteà oculis & animo conuerſi erant. Quàm ſapienter autem, quàm modeſtè, quàm præclarè ſe in Epiſcopatu, onere Atlanticis, imò Angelicis humeris tremendo, geſſerit, quis dignè ſatis explicet? Virtutes viri quotidie creſcebant, & ſanctimonia eius magis ac magis in dies eluceſcebat, egregiè per omnia ſuo fungebatur officio, & publicè & priuatim Deo & hominibus placebat, diligenter, vt decebat, ſuo at-

tende-

tendebat gregi, ſibi commiſſum ouile animoſè & audacter ab incurſu luporum defendebat. Vndequaque inſtabant Hæretici, peſſimum genus hominum, & longè lateque peſtis Arriana ſeſe effuderat. Hîc ſe prudentiſſimum oſtendit Nicolaus, & ſe acerrimum fidei Catholicę defenſorem exhibuit, populumque ſuum ab illa lue immunem præſtitit, & à peſtifera contagione longiſsimè remouit. Frequentibus ijſque diſertiſsimis, ac planè Demoſtheneis concionibus, veriſsimis ſcripturæ teſtimonijs, magna ingenij vi, ingenti mentis acumine, & pluſquàm Ariſtotelica ſagacis animi ſolertia, & incredibili cura, & diligentia Hæreticorum væſaniam retundens, ac refutans, & dolos ac præſtigias Sphingum, & Hydrarum peruerſiſsimarum ac peſtilentiſsimarum omnibus, qui curæ ſuæ ſuberant, indicans & aperiens. Quid multa? nulla in re vir ſanctus, & omni doctrina eruditus ac perpolitus Deo diſplicuit. Iuſtitiæ norma, Clericorum lumen, Epiſcoporum decus & ornamentum fuit. Omnia illi præ Chriſto ſordebant, faſtum & luxum hominum voluptate vana delinitorum deteſtabatur, Epicureos & Sardanapalos execrabatur; vitia fugiebat;

fugiebat, & ſoli virtuti inſiſtebat. Quibus rebus omnibus meruit iàm adueniente morte in cœlum transferri, vbi nunc corona Iuſtitiæ inſignitus cum Chriſto, quem ſemper concupierat, felicìſsimè viuit, & dominatur. Nos igitur Auditores, ſi cœlum deſideramus, eam viam, quam ingreſſus eſt beatus Nicolaus, ingrediamur. Ieiunia ipſius, continentiam, pietatem, iuſtitiam, & virtutes denique omnes admiremur, nec ſolùm admiremur, ſed etiam imitemur. Sic bene præſens feſtum celebrabimus: ſic bene à nobis coletur Nicolaus. Nihil aliud à nobis requirit Nicolaus, quàm, vt mandata Dei, quæ ipſe toto corde obſeruauit, obſeruemus. Hoc nihil ipſi gratius facere poſſumus: hoc ſi effecerimus, bene ſaluti noſtræ conſulemus, & ad cœlum, quę patria noſtra eſt, recta via contendemus, tandemque cum beato Nicolao, omnibus defuncti malis, neſcij curarum, expertes ſollicitudinum, ſecuri laborum, in cœlis lętitia incredibili exultabimus, ac voluptate vera perfundemur, ambroſia veſcemur, & nectar purpureum ſemper hilari ore cum Superis, ſtellantibus accumbentes men-

ſis, deſpectâ in æternum morte, contemptóque Erebo, & Erebi domino bibemus, faciemque Dei, vt eſt, contemplabimur, quam videre ſumma eſt felicitas; vt nos Chriſtiana olim edocuit, & quotidie edocet veritas.

DIXI.

A01 1667707

A01 1467702

BI